
Hartman, Jacobus Johannes
Studia critica in
Luciani Samosatensis opera



B. E. Perry

Studia Critica in Lucianum.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

LUGDUNI-BATAVORUM,

APUD S. C. VAN DOESBURGH.

MDCCCLXXVII.

STUDIA CRITICA

IN

LUCIANI SAMOSATENSIS OPERA.

LUGD.-BAT.: TYPIS L. VAN NIFTERIK HZ.

STUDIA CRITICA

IN

LUCIANI SAMOSATENSIS OPERA.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

P. VAN GEER,

MATH. MAG. PHIL. NAT. DOCT. ET IN FACULTATE DISC. MATH. ET PHYS. PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

Jacobus Johannes Hartman,

E PAGO BLANKENHAM-TRANSISALANUS.

A. D. XVI KAL. QUINCT. A. MDCCCLXXVII, HORA III.

IN AUDITORIO MAJORE.

LUGDUNI-BATAVORUM,

APUD S. C. VAN DOESBURGH.

MDCCCLXXVII.


LIBRARY
JUL 13 1967
UNIVERSITY OF TORONTO

MATRI OPTIMAE CARISSIMAE

ET

CARISSIMI PATRIS MANIBUS

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUIT

SCRIPTOR.

PRAEFATIO.



Lubet „Studiis" hisce pauca quaedam praefari, quae lectorem de libelli mei consilio et, ita dicam, historia reddant certiorem. Ex quo Gymnasii discipulus Lucianum legere coepi, semper ille scriptor mihi in deliciis fuit, neque per cursum meum Academicum eum in longius tempus umquam deposui de manibus. Quum ergo jam eo pervenissem, ut scribenda dissertatione ad summos in philologia honores adspirarem, nihil habebam antiquius quam ut in Luciani scriptis vires meas experirer. Sciebam etiam post summorum criticorum labores multis nominibus textum Luciani corruptissimum vere dici posse; neque ignorabam eorum, quae ad librorum ordinem chronologicum pertinerent, multa nondum ad certum finem esse perducta. Hoc quoque notum mihi erat, de uno alteroque libro genuinusne esset addubitari etiam et sub judice litem esse. Quum vero conarer in singulos libros inquirere, an revera a Luciano, quove tempore scripti essent, mox videbam ea, quae mihi in mentem venirent, ab aliis jam esse occupata; neque hoc me fallebat tales quaestiones, in Luciano praesertim, multo robustiores requirere vires. Quod nemo credo mirabitur, qui vel obiter cognoverit inspexeritque libellos, quos immensa doctrina et acerrimo acumine ingenii magno literarum emolumento scripsit ille, qui hujus studiorum partis facile princeps appellari possit; Fritschium dico virum clarissimum, cujus praeter majorem editionem tam pauca scripta mihi prae manibus fuisse, in diem magis doleo.

Melius mihi successit — *προςκυνῶ δὲ τὴν Ἀδράστειαν* — ea pars quae ad emendandos singulos locos pertinet.

Iterum iterumque toto Luciano perlecto ex editione Dindorfii, quae prodiit Lipsiae, nonnumquam ita unum alterumque locum corrigere contigit ut satis mihi placerem. Adhibita deinde Fritschii editione, videbam non parvum emendationum numerum ab aliis mihi esse praereptum. Quod ut initio satis molestum esse solet illi qui sibi librum scribere proposuit, ita mihi non mediocriter inde animus crevit quum viderem saepius mihi cum celeberrimis viris convenire. Laeta ergo spe de novo me ad repetitam lectionem accingebam, et ita mihi in diem major succrescebat annotationum copia, quas nunc Tibi, candide lector, offero, χαριζόμενος πλεόντων. Tu benevole accipias rogo.

Praeter Cobeti Lectiones et Madvigii Adversaria usus sum collatione codicum Marcianorum, quam curavit Sommerbrodt. Aliorum virorum doctorum inventa e sola Fritschii annotatione critica nota mihi erant; ipsius viri clarissimi Quaestiones et Emendationes Lucianeas serius demum mihi comparare potui. Unde facile fieri potuit ut multa in lucem ediderim quae jam alii reppererunt. Quod nemo tamen, ut spero, mihi vitio dabit; non enim facile comparantur breviora scripta quae ante longius annorum spatium prodierunt, difficillime vero illi libelli qui etiam recentiore tempore a viris doctis in Germania addi solent ordinibus Lectionum Academicarum, et Gymnasiorum programmatis. Qua de re vel Bibliopolis Leidensibus testimonium denunciare possem. Quin etiam fortasse id mihi accidit ut unam alteramque correctionem proponerem jam a Cobeto vel Madvigio occupatam. Utriusque enim viri clarissimi libros, lectos jam multo antea, iterum demum contuli quum materiem meam disponerem. Jam fere tota dissertatione typis impressa, affertur mihi libellus viri clarissimi van Herwerden: „Plutarchea et Lucianea." Quem ego quum raptim et tantum non stans pede in uno inspexerim, duobus tantum locis in extrema parte libelli mei ejus rationem ducere potui.

Verum non tantum ut studiorum meorum redderem rationem, praefandi occasionem arripui. Illud enim mihi incumbit officium, quo fungar lubentissime, ut gratias agam illis, qui per stadium Academicum de me bene meruerunt. Et profecto non parva ea sunt, quorum, vitam quam studiosus egi quum respiciam, gratus recordor; utque ab omni jactantia sum alienus, ita hoc tamen numquam sine gloria quadam proloquar, illustrissimae Academiae Leidensis me fuisse alumnum.

Quem ergo ego gratiarum actione adeam ante Vos, clarissimi Cobet et

Pluygers, qui tales mihi exstitistis studiorum magistri? Lectionum Vestrarum memoriam dies non delebit; sed semper mihi ante oculos versabuntur praecepta Vestra, quibus, ab omni vana doctrinae ostentatione quum abhorreatis, quid verum rectumque, quid non, sit, alumnos Vestros simpliciter et perspicue docetis, et, si quid mea vota valebunt, diu docebitis.

Vos quoque Viri Clarissimi, qui aliarum disciplinarum, sive in nostra, sive in alia facultate doctores mihi fuistis, grato animo me Vobis devinctum scitote.

Neque silentio praetereundus mihi es Tu, clarissime Boot, qui mihi, quum per breve tempus in Athenaeo Amstelodamensi studiis darem operam, animum indidisti, et primus omnium ad Literarum studium et verbis et exemplo Tuo me incitasti. Benevolentiae Tuae semper gratam servabo memoriam.

Postremo Vos apello dulcissimi et conjunctissimi amici,
ubicunque locorum
Vivitis, indigni fraternum rumpere foedus.

Quid Vobis quoque debeam hujus loci non est dicere. Hoc tantum persuasissimum Vobis habetote, numquam me Vestri esse obliturum. Et quamquam jam elapsum est, neque umquam reversurum, laetum illud tempus, quo fere quotidie una eramus, et aut studiis dabamus operam, aut libere et jucunde de quibuslibet rebus confabulabamur, neque hercle aversabamur quae ad gaudium et animi oblectationem pertinerent, pro parte saltem istam jacturam compensabit fideliter menti infixa Vestri memoria.

Quandoquidem nihil credo obstat quominus in conjecturis meis proponendis eum sequar ordinem quem ipse mihi statuerim, initium faciam ab iis Luciani libris qui communi nomine „Saturnalia” inscribuntur, et quia mihi semper digni visi sunt qui numerentur inter eos libros in quibus prae ceteris Lucianeum ingenium emicat, et quia eos librariorum socordia multis inquinavit erroribus quorum nonnullos facile corrigi posse arbitror.

§ 2[a]. Sacerdoti divitias opesque petenti ita respondet Saturnus ut doceat solum Jovem talia tribuere posse; suum enim imperium non solum tempore esse circumscriptum, sed ne inter breve quidem dierum spatium quod sibi obtigerit, quidquam sibi agere licere nisi quod ad ludum jocumque pertineat.

Verum pars hujus responsi ita in codicibus circumfertur ut recte intelligi nullo modo possit.

Legitur enim: *ἐν αὐταῖς δὲ ταῖς ἑπτὰ σπουδαῖον μὲν οὐδὲ ἀγοραῖον διοικήσασθαί μοι συγκεχώρηται.*

Video in „notis Variorum” viros doctos partim defendere lectionem vulgarem ut sit *σπουδαῖον μὲν οὐδὲ ἀγοραῖον* „serium nihil neque publicum negotium” (versio Gesneri); partim hoc

saltem videre necessario requiri vocabulum οὐδὲν: σπουδαῖον μὲν οὐδὲν οὐδὲ ἀγοραῖον.

Verum ne ita quidem locus ab omni parte probandus est. Non enim recte voces σπουδαῖον et ἀγοραῖον ita componuntur; nam neque Saturno omnibus negotiis publicis est interdictum, et multa negotia publica jocosi et ridiculi generis sunt. Miror eos qui hunc locum tractarunt vel non vidisse in vicinia adesse opem vel illam opem consulto sprevisse.

Legitur enim in Cronosolone § 13[a]:

μηδένα μηδὲν μήτε ἀγοραῖον μήτε ἴδιον πράττειν ἐντὸς τῆς ἑορτῆς ἢ ὅσα ἐς παιδιὰν καὶ τρυφὴν καὶ θυμηδίαν.

Satis mihi persuasum est hinc nostrum locum ita emendandum esse:

ἐν αὐταῖς δὲ ταῖς ἑπτὰ σπουδαῖον μὲν οὐδέν, οὔτε ἀγοραῖον οὔτε ἴδιον διοικήσασθαί μοι συγκεχώρηται: serii nihil neque publice neque privatim.

Illud οὔτε ἀγοραῖον οὔτε ἴδιον tam necessario requiritur ut, quamquam correctio videri possit violentior, non dubitem tamen quin ita Lucianus scripserit: praesertim quum ea correctione id efficiatur ut sacerdos quae sibi responderit Saturnus ea in sua lege iisdem verbis enunciet.

Leniore sane medela videor mihi restituisse ea quae mox sequuntur (§ 4[a]): πολλοὶ γοῦν ἐς κόρον ἀπὸ τοῦ τοιούτου ἐπεσιτίσαντο οἷς ἵλεως καὶ φορὸς ὁ κύβος ἐπινεύσειε. Recte quidem in editione Dindorfii aoristi optativus pro futuro ἐπινεύσει legitur; sed neque hac lectione satis proficimus. Non enim credo fieri posse ut quocumque tandem sensu alea ludenti „annuere" dicatur; minime vero ubi appositum habeat adjectivum φορός. Verum lege mecum „ἐπιπνεύσειε" et omnia Lucianeo ingenio

erunt dignissima. Instituitur enim comparatio navigantis cui alea est *ἴκμενος οὖρος*. Mox quidem haec adduntur mutata imagine „*οἱ δ' ἔμπαλιν γυμνοὶ ἐξενήξαντο συντριβέντος αὐτοῖς τοῦ σκάφους περὶ οὕτω μικρῷ ἕρματι*"; sed neque ea meae conjecturae obstant. Nunc enim cum navigantibus comparantur ii qui in ludendo sunt infelices. His vero alea non est ventus secundus sed scopulus in quem navicula impingitur. Ceterum simile aliquid videtur cogitasse Guyetus qui haec annotavit: *καὶ φορός. φορὸς ἄνεμος.*

§ 5[a]: „*ἐπόθουν εἰδέναι*" ait sacerdos „*εἰ ἀληθῆ ταῦτά ἐστιν ἃ περὶ σοῦ ἀκούομεν ὡς* . . . . .

Si quis puer ita Graece vertisset exercitationem vernacule scriptam, esset quidem satis laude dignus. At Lucianum credo multo elegantius dedisse „*εἰ ἀληθῆ ταῦτα περὶ σοῦ ἀκούομεν.*" Non enim Graece dicitur: „*ἀληθῆ ταῦτά ἐστιν ἃ λέγεις*" sed: „*ἀληθῆ ταῦτα λέγεις.*" Cf. Dial. Mort VI, 4: *ἀληθῆ ταῦτα φής*; XXVI, 1: *ἀληθῆ ταῦτα ἤκουσας*; Timon. 20: *οὐκ ἀληθῆ ταῦτα φής*; et Fugit. 1: *ἀληθῆ ταῦτά φασι.*

Minus etiam ferendum est quod legitur in „Jove confutato" § 1[a]: *εἰπὲ οὖν μοι εἰ ἀληθῆ ἐστι τὰ περὶ τῆς Εἱμαρμένης καὶ τῶν Μοιρῶν ἃ ἐκεῖνοι ἐρραψῳδήκασι*; pro quibus multo melius codex Marcianus (434 Sbt.): *εἰ ἀληθῆ ἐστὶν ἃ περὶ τῆς Εἱμαρμένης καὶ τῶν Μοιρῶν ἐκεῖνοι ἐρραψῳδήκασι.* Sed neque ita Lucianum scripsisse opinor, verum: „*εἰ ἀληθῆ τὰ περὶ τῆς Εἱμαρμένης καὶ τῶν Μοιρῶν ἐκεῖνοι ἐρραψῳδήκασι.*" Quod quum Grammaticis ad intelligendum minus facile videretur alius alio modo explevit; minus certe absurde is qui ita scripsit ut in Marciano legitur.

Cronosolon. § 15[a]: *ἐγγραψάσθω δὲ ἐς γραμματεῖον ὅ, τι τὸ*

πεμπόμενον καὶ ὅσον. Miror esse qui illud „ἐγγραψάσθω” pro passivo habeat et „inscribatur” vertat. Sed neque medii significatione recte dictum erit. Si enim ita intelligas ut sit „inscribendum curet”, contra totius loci structuram vehementer peccatum erit. Agitur enim de omnibus divitibus in universum, non de singulis. Vide modo praecedentia ἀναγιγνωσκέσθω σφίσι. κατανείμαντες δ' αὐτοὶ πεμπόντων.

Praeterea jam dictum est de servis qui dona illa Saturnalia ad clientes pauperesque perferunt; ergo illam tabellam non scribi sed jam scriptam esse oportet. Quapropter legendum censeo „ἐγγεγράφθω.”

Epist. Saturn. § 21a Scriptor Saturnum rogat ut velit divites jubere ea vestimenta quae neglecta apud eos jacent ἡμῖν δοῦναι περιβαλέσθαι μᾶλλον ἢ ἐν ταῖς κίσταις εὐρῶτι πολλῷ κατασαπῆναι. Nisi velis ipsos divites putrescere lege ἢ ἐᾶν ἐν ταῖς κίσταις κατασαπῆναι.

Antequam ad alium Luciani librum transeo addere his lubet unum locum e Philopseude (LII), ubi scribae inscitia ridiculum errorem peperit, quem tamen si semel observaveris nullo negotio quid revera Lucianus scripserit statuere possis. Legitur § 21a.

„Est mihi” narrat medicus Antigonus „domi parvus Hippocrates ex aere factus, qui statim ubi lumen est exstinctum totam domum perambulat ψοφῶν καὶ τὰς πυξίδας ἀνατρέπων, καὶ τὰ φάρμακα συγχέων, καὶ τὴν θύραν περιτρέπων.”

Τὴν θύραν. Quam januam? Exspectares potius Hippocratem illum si totam domum percurrit (περίεισι τὴν οἰκίαν ὅλην ἐν

κύκλῳ) non unam sed omnes januas aperire. Verum est aliud certius erroris indicium. Editores et interpretes non videntur satis cogitasse esse aliquid inter στρέφειν et τρέπειν; unde factum est ut nostrum locum verterint „convertit januam." Sed περιτρέπειν non est „convertere", verum „prosternere" et „in solum conjicere." Non ergo facile janua „περιτρέπεται." Sed fere sine ulla mutatione restitui potest nomen instrumenti quod et in cujusque medici officina reperitur, et quia plerumque in mensa positum est inde potest dejici. Nempe pro ΘΥΡΑΝ legendum est ΘΥΙΑΝ (θυΐαν mortarium). Vocabulum θυΐα quamvis notum ex Aristophanis Pace tamen facile imperitum scribam latere poterat.

Non est fortasse alius Luciani dialogus pluribus commaculatus vitiis quam qui inscribitur „Navigium sive Vota." Indicabo unum et alterum locum qui mihi ad emendandum videtur facillimus.

Postquam inter amicos, urbem versus ambulantes, convenit ut itineris laborem fallant animumque oblectent optando a Diis quod cuique maxime esset in votis, Adimantus, magni laboris impatiens, nihil sibi expetit praeter magnam auri et argenti copiam, quam ut facillime colligat in ipso domi atrio thesaurum effossum sibi fingit. Verum in alia omnia abit amici Samippi mens et cogitatio. Illi omnia nullius sunt pretii prae imperio et solio regio. Neque sufficit potestas a patre accepta: regnum quoque despicit non vi armorum sed proavorum virtute occupatum, „ἐπεὶ" ait „τῷ 'Αδειμάντου

θησαυρῷ παραπλήσιον τὸ τοιοῦτο καὶ τὸ πρᾶγμα οὐχ ὅμοιον ἡδὺ ὥσπερ ὅταν ἴδῃ τις αὐτὸς δι' αὑτοῦ κτησάμενος τὴν δυναστείαν."

Primum non perspicio quid editores moverit ut vitiosum ὅμοιον ἡδύ retinerent pro quo jamdudum Solanus ὁμοίως ἡδύ restituit. Eadem vocabula ὁμοίως ἡδύ leguntur (si in talibus etiam exemplis opus est) in Prom. s. Cauc. § 10ª et in Sat. Ep. § 34ª.

Verum et aliud in his inest quod displiceat. Non potest aliquis rex videre se ipsum suis viribus ad regnum pervenisse; scire hoc potest et sibi conscius esse. Quapropter non dubito quin ita sit legendum: καὶ τὸ πρᾶγμα οὐχ ὁμοίως ἡδὺ ὥσπερ ὅταν εἰδῇ τις αὐτὸς δι' αὑτοῦ κτησάμενος τὴν δυναστείαν.

§ 30ª. Samippus jam totus in re militari amicum Lycinum equitum ducem sibi assumit. Cui ille, vir minime militaris: „δέδια τοίνυν μὴ τοῦ σαλπιγκτοῦ ἐποτρύνοντος καταπεσὼν ἐγὼ συμπατηθῶ ἐν τῇ τύρβῃ ὑπὸ τοσαύταις ὁπλαῖς, ἢ καὶ θυμοειδὴς ὢν ὁ ἵππος ἐξενέγκῃ με τὸν χαλινὸν ἐνδακὼν ἐς μέσους τοὺς πολεμίους, ἢ δεήσει καταδεθῆναί με πρὸς τὸ ἐφίππιον εἰ μέλλω μενεῖν τε ἄνω καὶ ἕξεσθαι τοῦ χαλινοῦ." Conjunctivi qui a δέδια pendent recte vocabulo ἢ junguntur (μὴ συμπατηθῶ ἢ ὁ ἵππος με ἐξενέγκῃ); sed male scriba etiam novae periodi parti eam conjunctionem praeposuit. Si enim δεήσει κ. μ. π. τ. ἐ sic nude positum esset, ἢ defendi posset; nunc quoniam sibi adnexum habet εἰ μέλλω κ. τ. λ. non potest alio modo cum praecedentibus copulari quam conjunctione καί: Φοβοῦμαι μὴ ..... ἢ ..... καὶ δεήσει. Prorsus eodem modo καὶ legendum pro ἢ in initio dialogi § 7. „Audivistisne" rogat Timolaüs amicos suos „rectorem navis quam in Piraeo spectavi-

mus narrantem οἷα ἔπαθον πλέοντες ἢ ὡς ὁ ἀστὴρ αὐτοὺς ἔσωσεν"; l. καὶ ὡς ὁ ἀ. Non enim alterutrum ille narraverat.

Ut in omnibus codicibus καί vocabulum calamitosum est ita et apud Lucianum affatim est exemplorum ubi ea conjunctio aut abest quum necessario requiratur, aut eo loco legitur ubi ferenda non est. Nimis longe a meo proposito digrederer si nunc omnes Luciani locos indicare vellem quibus hoc accidit. Sed non possum a me impetrare ut praeteream unum locum ubi conjunctio καί alius vocabuli sedem occupavit et sic turbavit totam orationem.

Legitur in προλαλίᾳ „de Dipsadibus" (LXIV) § 6[a]. Postquam scriptor exposuit inexplebilem sitim, qua qui a Dipsade morsus est laborat, ita pergit: „equidem neminem vidi qui his malis cruciaretur, neve o Dii boni! unquam videam. Sed notum mihi est epigramma quod amicorum aliquis mihi narravit se legisse in cippo hominis ita defuncti." Amicus ille ἔφη „ἐκ Λιβύης ἀπιὼν παρὰ τὴν μεγάλην Σύρτιν ποιεῖσθαι τὴν πορείαν. ἔνθα δὴ τάφῳ ἐντυχεῖν παρὰ τὴν ᾐόνα ἐπ' αὐτῷ τῷ κλύσματι καὶ στήλην ἐφεστάναι δηλοῦσαν τοῦ ὀλέθρου τὸν τρόπον." Quae ista est verborum structura? ἔφη ἐντυχεῖν τάφῳ — καὶ στήλην ἐφεστάναι? Debebat saltem καὶ τούτῳ στ. ἐφ. Sed neque sic Lucianus scripsit. Primaria enim pars narrationis non est quod amicus ille in aliquem tumulum inciderit, sed quod in eum tumulum qui illud haberet epigramma. Legendum ergo: τάφῳ ἐντυχεῖν ᾧ στήλην ἐφεστάναι. Pronomen relativum in oratione indirecta cum infinitivo conjunctum apud omnes Graecos scriptores reperitur, praesertim apud Herodotum, sed neque alii ab eo usu abhorrent. Exemplo sit Soph. Electr. vs. 417 sqq.:

λόγος τις αὐτὴν ἔστιν εἰσιδεῖν πατρός
τοῦ σοῦ τε κἀμοῦ δευτέραν ὁμιλίαν
ἐλθόντος ἐς Φῶς· εἶτα τόνδ' ἐφέστιον
πῆξαι λαβόντα σκῆπτρον, οὑφόρει ποτὲ
αὐτὸς τὰ νῦν δ' Αἴγισθος, ἔκ τε τοῦδ' ἄνω
βλαστεῖν βρύοντα θαλλόν, ᾧ κατάσκιον
πᾶσαν γενέσθαι τὴν Μυκηναίαν χθόνα.

Redeo nunc ad „Navigium." § 44a. Etiam absurdiora sunt Timolai vota; ille exoptat sibi annulos quosdam magicos quorum unus hanc vim habeat ut volandi praestet facultatem. „Ita" ait „... εἰ δέ τι ἐν Ἰνδοῖς ἢ Ὑπερβορέοις θέαμα παράδοξον ἢ κτῆμα τίμιον, ἢ ὅσα ἐμφαγεῖν ἢ πιεῖν ἡδέα, οὐ μεταστειλάμενος ἀλλ' αὐτὸς ἐπιπετόμενος ἀπέλαυον ἁπάντων ἐς κόρον." Inserendum est ἄν: ἀπέλαυον ἄν. Conferas modo quae in vicinia leguntur: ἑώρων ἄν, μόνος ἂν ἠπιστάμην, ἔγνων ἄν.

Tum ita pergit: καὶ ἐπεὶ γρύψ, ὑπόπτερον θηρίον, ἢ Φοῖνιξ, ὄρνεον ἐν Ἰνδοῖς, ἀθέατον τοῖς ἄλλοις, ἐγὼ δὲ καὶ τοῦτο ἑώρων ἄν. Non credo Lucianum tam esse omnis elegantiae expertem ut amicos in jocosa confabulatione fingat vocibus tam parum ignotis quam sunt γρύψ et Φοῖνιξ addentes ludimagistri annotationes. Quod si jam Timolaüs opinaretur nunquam amicos suos de gryphibus et phoenicibus inaudivisse, parum eos doctiores redderent ista „ὑπόπτερον θηρίον" et „ὄρνεον ἐν Ἰνδοῖς." Quibus verbis ejectis specie tantum oritur aliqua difficultas; nempe voc. ἀθέατον in genere neutro positum. Verum ne si remaneant quidem verba notata, vocabulum ἀθέατον ad „θηρίον" et „ὄρνεον" est referendum, sed positum est ut e. gr. „οὐ μικρόν" pro „res non parvi pretii" (οὐ γὰρ μικρὸν ἦν Σό-

λων ἐπαινῶν. Scyth. 8). Ergo recte vertitur „et quoniam gryps et phoenix ceteris negatum spectaculum sunt, ego illud quoque spectarem.” Praeterea legendum est non δὲ καὶ sed simplex καί.

§ 34[a]. Jam Samippus contra regem Persarum cum somniato suo exercitu expeditionem facit. Dum rex circa Ctesiphontem moratur Samippus potitur Babylone. Prope Seleuciam rex copias contrahit; „ἀπαγγέλλουσι δ' οὖν οἱ σκοποὶ ἀμφὶ τὰς ἑκατὸν μυριάδας τοῦ μαχίμου συνειλέχθαι καὶ τούτων εἴκοσιν ἱπποτοξότας. καίτοι οὔπω ὁ Ἀρμένιος πάρεστιν οὐδ' οἱ κατὰ τὴν Κασπίαν θάλασσαν οἰκοῦντες ἀλλ' ἐκ τῶν πλησίον καὶ προαστείων τῆς ἀρχῆς· οὕτω ῥαδίως τοσαύτας μυριάδας κατέλεξε.”

Nemo credo non videbit verbis „ἀλλ' ἐκ τῶν πλησίον καὶ προαστείων τῆς ἀρχῆς” neque caput neque pedes constare. Sed facile huic morbo subveniri potest; nempe ejiciendum est οὕτως ita ut duae sententiae coalescant in unam „ἀλλ' ἐκ τῶν πλησίον καὶ προαστείων τῆς ἀρχῆς ῥαδίως τοσαύτας μυριάδας κατέλεξε.” Vitium quomodo natum sit satis credo apparet; magis etiam hoc perspicuum erit si alium locum apposuero eodem malo laborantem. Est in elegantissima declamatione „Muscae Encomio” (LVII) § 5[a]: „οὕτω δὲ πάνυ ἐπαινεῖ καὶ ἀσπάζεται (Homerus) τὴν μυῖαν ὥστε οὐχ ἅπαξ οὐδ' ἐν ὀλίγοις μέμνηται αὐτῆς ἀλλὰ πολλάκις· οὕτω κοσμεῖ τὰ ἔπη μνημονευομένη.” Non possum mihi persuadere Lucianum tam pueriliter scripsisse ut verbis οὐχ ἅπαξ οὐδ' ἐν ὀλίγοις opponeret nudum ἀλλὰ πολλάκις; neque admodum elegans est quum praecedat οὕτω δὲ πάνυ . . . . . statim adnectere οὕτω κοσμεῖ . . . . . Postremo si ratio reddenda esset quare Homerus saepius muscae mentionem faciat, haec causa afferri debebat quod eam suam poesin ornare arbitraretur; non sufficeret simplex κοσμεῖ.

Verum dele *οὕτω* et habebis perspicuam et rotundam orationem: *ὥςτε οὐχ ἅπαξ οὐδ' ἐν ὀλίγοις μέμνηται αὐτῆς ἀλλὰ πολλάκις κοσμεῖ τὰ ἔπη μνημονευομένη.*

Adimantus effosso illo thesauro jam dives factus quam lautas et opiparas epulas sibi parari jussurus sit describit § 23[a]. Dein addit (ead.): *οἱ δὲ σκευάζοντες ἕκαστα σοφισταί τινες περὶ πέμματα καὶ χυμοὺς ἔχοντες.* Qui in re culinaria artifex est dici potest *τεχνίτης περὶ πέμματα καὶ χυμούς*; ita apud Xenophontem *οἱ μάγοι* dicuntur *τεχνῖται περὶ τοὺς θεούς* Cyrop. VIII. 3. 11. Potest et *σοφιστὴς περὶ πέμματα* appellari; sed quid sibi illud *ἔχοντες* velit non capio.

Idem Adimantus inter alia munificentiae suae exempla etiam hoc enumerat: *εἴ τις πένης, φιλοφρονήσομαι τοῦτον καὶ λουσάμενον ἥκειν κελεύσω τὴν ὥραν ἐπὶ τὸ δεῖπνον.* Saepius illa locutio apud Lucianum reperitur sed et hic et aliis locis, ut mihi quidem videtur, non sine docti annotatione. Nempe vocabula „*τὴν ὥραν ἐπὶ τὸ δεῖπνον*" omnino ejicienda videntur. Saepius legitur „*λουσάμενος ἥκω*" non addita ulla vocabuli „*λουσάμενος*" explicatione, qua neque cuiquam, credo, opus est qui Attici sermonis et consuetudinis Atheniensium non prorsus sit imperitus. Ita in Dial. Mort. VII, 2: *ἐπεὶ τοίνυν λουσάμενοι ἥκομεν*; Epist. Sat. 23: *ἐπειδὰν λουσάμενοι ἥκωσι*; Gall. 9: *ἧκε λουσάμενος*; Contra Timon. 54: *ἐπειδὴ λουσάμενος ἀφίκοιτο ἐπὶ τὸ δεῖπνον*; Gall. 7: *λουσάμενον ἥκειν ἐκέλευσε τὴν ὥραν ἐπὶ τὸ δεῖπνον.* Non credo elegantis scriptoris esse eam dicendi formulam ut reconditam et inauditam gravare additamento, qua ipse saepe ita utitur ut quae omnibus ex usu quotidiano sit notissima et usitatissima. Non est haec grata et jucunda varietas.

Solitum vitium, multis adhuc locis apud Lucianum corrigendum, reperitur § 19[a]: σωθῆναι παρ' αὐτῶν; lege πρὸς αὐτῶν. Jam saepius de ea re a doctioribus dictum est. In eadem § pro ἀπολαβεῖν τὸν μισθὸν ἀντὶ τῆς ᾠδῆς lege τὸν μισθὸν τῆς ᾠδῆς.

§ 17[a] ubi Timolaüs amicos suos hortatus est ut sua quisque vota in medium proferat, Samippus ejus propositum probans addit: εἰ μὲν γὰρ 'Αδείμαντος βούλεται οὐδ' ἐρωτᾶν οἶμαι. Inserendum est verbum δεῖν. Saepius hoc verbum apud Lucianum deëst, e. gr. in Abdic. § 8[a], unde factum est ut opinati sint nonnulli v. οἴεσθαι vel ἡγεῖσθαι fere idem significare quod οἴεσθαι δεῖν simm. Mihi autem omnes illi loci ita videntur corrigendi ut aut δεῖν inseratur aut pro οἴεσθαι vel ἡγεῖσθαι substituatur ἀξιοῦν vel quod Luciano in deliciis est δοκιμάζειν. Certe illud δοκιμάζειν a scribis corrumpi solere mihi satis apparet e Philops. § 39[a], ubi nunc legitur „οὐ δοκεῖν οἰηθεὶς δεῖν μόνος ἀντιλέγειν ἅπασιν", quum in Florentino et Marciano legatur „σὺ δοκιμάσας μόνος ἀντιλέγειν" quod non dubito quin recipiendum sit.

Restant quaedam in „Navigio" certo certius corrupta, quae tamen mihi probabili aliquo modo corrigere non contigit. § 4[a]: ἢ ἐθέλεις ἐγὼ αὖθις ἐπάνειμι. In talibus requiritur conjunctivus post βούλει vel ἐθέλεις. Lucianum fideliter hanc normam sequi demonstrari potest his exemplis: D. Mort. I, 2; XX, 3; Navig, 26; Hermot. 32, 48, 55. Sed quod jam dixi, non video quomodo ex nostro loco vitium eximi debeat.

In § 15[a]: μὴ γὰρ οἴου σοὶ μὲν εἶναι ῥᾴδιον τηλικαῦτα πλοῖα κτᾶσθαι.... ἡμεῖς δ' οὐκ αἰτήσομεν. Scabram hanc esse orationem nemo negabit, sed manum abstineo.

Luciani declamationes, quas juvenis magnam partem scripsit, tanto ejus dialogis ceterisque satyrici generis scriptis inferiores sunt ut vix cum iis possint comparari. Quae quum ergo a viris doctis vel omnino neglectae vel nequaquam pari diligentia tractatae sint, inde factum esse opinor ut in iis praeter multa insanabilia, nonnulla reperiantur ita corrupta ut tamen nullo negotio emendari possint. Quod ut lectoribus probem percurram „Tyrannicidam", „Abdicatum" et utrumque „Phalaridem." Addam locos nonnullos e declamatione „de Domo"; verum quod et in ceteris feci ea tantum attingam quae mihi ad emendandum facillima videntur: graviora vulnera me peritioribus sananda relinquo.

Tyrann. § 1[a]: „δύο τυράννους ἀποκτείνας μιᾶς ἡμέρας, τὸν μὲν ἤδη παρηβηκότα, τὸν δ' ἀκμάζοντα καὶ πρὸς διαδοχὴν ἑτοιμότερον . . . . . ."

ἑτοιμότερον. Quo? an patre grandaevo, decrepito? Non est hoc magnum, neque ad eam rem opus est ingenti corporis robore. πρὸς διαδοχὴν τῶν ἀδικημάτων ἑτοιμότερον. Quo? an patre? At ille jam sedebat in solio regio, ut verbum „succedere" in eo omnino locum non habeat. Neque ergo filius eo ἑτοιμότερος ad succedendum dici potest. Sine dubio legendum est ἑτοιμότατον. Optime junguntur ἀκμάζοντα καὶ πρὸς διαδοχὴν ἑτοιμότατον. Eo aetatis flore erat tyranni filius ut optime patri si quid ei accideret succedere posset.

Admonet me hic scribarum error loci ubi pro superlativo positivus legitur. In „pro Imaginibus" (XL) § 20[a]: ἵππον φύσει κοῦφον ὧν ἴσμεν ζῴων l. κουφότατον.

§ 10ª: „Adversarius meus" ait Tyrannicida „Φησὶν οὐκ εὔλογον ποιεῖν με τιμᾶσθαι ἐθέλοντα, οὐ γὰρ εἶναι τυραννοκτόνον οὐδὲ πεπρᾶχθαί μοί τι κατὰ τὸν νόμον ἀλλ' ἐνδεῖν τι." Vertunt „neque peractum a me quidquam secundum legem." Cui nihil πέπρακται κατὰ τὸν νόμον non ἐνδεῖ τι (cf. § 11ª ἢ ἐνδεῖν μοί τι πρὸς τὸν νόμον) sed τὰ πάντα. Legendum est οὐδὲ πεπρᾶχθαί μοι τὰ κατὰ τὸν νόμον. Scriba autem articulum τά, sequenti τι deceptus in τι mutavit.

§ 11ª. τί δὲ εἰ λιμῷ ἐξεπολιόρκησα τὸν τύραννον τὴν ἀνάγκην τῆς τελευτῆς παρέχων, ἀπῄτεις ἂν καὶ τότε..... Illud τὴν ἀνάγκην τῆς τελευτῆς παρέχων non novum aliquod est, neque tantummodo τοῦ πολιορκοῦντος; omnes enim de quibus hac parte declamationis agitur τὴν ἀνάγκην τῆς τελευτῆς παρέχουσι. Sed requiritur modus quo eum perire coëgit. Locus autem vehementer interpolatus est. Lege: τί δ' εἰ λιμῷ τὴν ἀνάγκην τῆς τελευτῆς παρέσχον; Videsne magistrum annotantem ἐξεπολιόρκησα τὸν τύραννον? Qua annotatione semel in textum recepta facile παρέσχον in παρέχων abiit.

Aeque corrupta sunt quae § 12ª leguntur: ἐγὼ δὲ καὶ τοῦτο μέμνημαι διηγορευμένον ἐν τοῖς νόμοις αἰτίας θανάτου εἶναι διττάς, εἴ τις αὐτὸς ἀπέκτεινεν, ἢ εἴ τις αὐτὸς μὲν μὴ ἀπέκτεινε μηδὲ τῇ χειρὶ ἔδρασε τὸ ἔργον, ἠνάγκασε δὲ καὶ παρέσχεν ἀφορμὴν τοῦ φόνου, τὰ ἴσα καὶ τοῦτον ἀξιοῖ ὁ νόμος ἀντικολάζεσθαι. Non opus est ut demonstrem quam male ista cohaereant. Et quid significat αἰτίας θανάτου εἶναι διττάς? Ego putabam mortis causas esse innumerabiles. Verum continent ea verba breve argumentum totius loci, neque perspicuum et perabsurdum. Quam moleste postremo verba ἀξιοῖ ὁ νόμος concinnitatem sententiae morantur quam totam pendere oportebat a „μέ-

μνημαι διηγορευμένον ἐν τοῖς νόμοις." Jam his deletis totum locum relege: videbis et recte omnia procedere et ipsa ea dici quae in rem faciant. Verba ἀξιοῖ ὁ νόμος ab eo addita esse qui male cohaerenti orationi subveniret, quisque credo perspiciet.

His expositis Tyrannicida ita pergit: εἶτα τὸν μὲν οὕτως ἀποκτείναντα κολάζειν ὡς ἀνδροφόνον δικαιοῖς ..... τὸν δὲ κατὰ τὸν αὐτὸν τούτῳ τρόπον εὖ πεποιηκότα τὴν πόλιν οὐ τῶν ὁμοίων ἀξιώσεις τοῖς εὐεργέταις;

Quid hoc est! An is qui tyranno mortis auctor exstitit εὖ πεποίηκε τὴν πόλιν eodem modo quo is qui ut ἀνδροφόνος morte mulctatur? Haec tamen sententia est si legas „κατὰ τὸν αὐτὸν τούτῳ τρόπον." Bene factum quod tamen in quibusdam codicibus legitur κατὰ τὸν αὐτὸν τοῦτον τρόπον. Sed nondum locus sanus est. Sensus enim hic esse debet: qui, non sua quidem manu aliquem civem occidit, verum mortis necessitatem ei intulit, tamen pro sicario habetur et morte mulctatur. Eandem rationem si sequaris is qui tyrannum coëgit manum sibi inferre dignus est qui dicatur εὐεργέτης τοῦ δήμου et praemium τοῦ εὐεργέτου accipiat. Habebis hoc si pro κατὰ τὸν αὐτὸν τούτῳ τρόπον legas quod literarum ductibus parum aut nihil differt κατὰ τὸν αὐτὸν τοῦτον λόγον.

§ 22a. καὶ τέλος ἑοράκατε πάντες τὸν μὲν νεανίαν προκείμενον, τὸν δὲ πρεσβύτην αὐτῷ περικεχυμένον, καὶ τὸ αἷμα ἀμφοῖν ἀνακεκραμένον, τὴν ἐλευθέριον ἐκείνην καὶ ἐπινίκιον σπονδὴν καὶ τὰ ἔργα τοῦ ξίφους τοῦ ἐμοῦ, αὐτὸ δὲ τὸ ξίφος ..... Interpungendum est post σπονδήν et pro τὰ ἔργα legendum ταῦτα ἔργα.

In sqq. ἄν neglectum est: τοῦτο ὑπ' ἐμοῦ γενόμενον μικρότερον ἦν l. μικρότερον ἂν ἦν.

Abdic. § 4a. ἦν δὲ κεκρατηκὸς ἤδη καὶ νενικηκὸς τὸ πάθος ἴδωμεν οὐδὲ τὴν ἀρχὴν προςαπτόμεθα νόμον τινὰ τῶν προπατόρων τῆς τέχνης ἰατρῶν φυλάττοντες.

Illi προπάτορες τῆς τέχνης sunt celeberrimi ex antiquitate medici quorum ordinem ipse Hippocrates vel Aesculapius ducit. Quis post honorificum illud nomen ferre potest insulsum additamentum „ἰατρῶν."

§ 17a. „Ego" ait medicus a patre abdicatus „patri insanienti arte mea salutem attuli; magna mihi hujus rei ab eo gratia debetur, μὴ γὰρ ὑπολάβοι τις ποῖος ἢ πόσος ὁ κάματος ἐγχέαι φάρμακον." Significaret hoc „o utinam nemo velit respondere." Quod quia hoc loco absurdum est lege μὴ γὰρ ὑπολάβῃ τις. Nempe μὴ cum optativo optantis est, μή cum conjunctivo aoristi vel imperativo praesentis vetantis.

§ 18 τὸν οὖν ταῦτα πάνθ' ὑπομεμενηκότα καὶ οὕτω χαλεπῷ νοσήματι προσπαλαίσαντα, καὶ πάθος ἁπάντων παθῶν τὸ δυςαλωτότατον νενικηκότα.

Si quid ego video „πάθος" delendum est. Quemadmodum enim non dicitur τὸ δυςαλωτότατον πάθος ἁπάντων παθῶν vel ἁπάντων παθῶν τὸ δυςαλωτότατον πάθος ita neque πάθος ἁπάντων παθῶν τὸ δυςαλωτότατον.

Ceterum scatent adhuc Luciani editiones talibus additamentis quibus magistri satis pueriliter etiam facillimas et usitatissimas dicendi formulas expleverunt scilicet et explicuerunt. Omnium instar est locus in Dial. Mort. XVI, 2. Ubi Diogenes Herculem docuit se tantummodo εἴδωλον esse veri Herculis inter Deos immortales recepti, Plutonem vero illud εἴδωλον pro vero Hercule accepisse, ille ita respondet: „ἀληθῆ

λέγεις, ἀκριβῶς γὰρ ὥςτε αὐτὸς εἶναι. ὅρα γοῦν μὴ τὸ ἐναντίον ἐστὶ καὶ σὺ μὲν εἶ ὁ Ἡρακλῆς τὸ δ' εἴδωλον γεγάμηκε τὴν Ἥβην." Quamquam nemo a me docendus est quo modo in talibus uti soleant vocabulis τοὐναντίον et πᾶν τοὐναντίον, lubet tamen quaedam exempla afferre e Platone quo manifestius sciolus teneatur.

Apol. 25 A. „Ergone" ait Socrates „omnes Athenienses juniores probos reddunt, ego solus eos corrumpo?" „Ita est" respondet adversarius. „Miserrimus ergo" S. inquit „mortalium ego sum. At responde mihi: num et in equis ita se res habere videtur ut omnes homines eos meliores reddant, unus tantum eos depravet, ἢ τοὐναντίον τούτου εἷς μέν τις ὁ βελτίους οἷός τ' ὢν ποιεῖν ἢ πάνυ ὀλίγοι;"

Protag. 360 B. „οὐκοῦν ὅλως οἱ ἀνδρεῖοι οὐκ αἰσχροὺς φόβους φοβοῦνται οὐδ' αἰσχρὰ θάρρη θαρροῦσιν;" „ἀληθῆ" ἔφη. „οὐκοῦν καὶ οἱ δειλοὶ καὶ οἱ θρασεῖς καὶ οἱ μαινόμενοι τοὐναντίον αἰσχρούς τε φόβους φοβοῦνται καὶ αἰσχρὰ θάρρη θαρροῦσιν;"

Phileb. 28 D. πότερον τὰ ξύμπαντα καὶ τόδε τὸ καλούμενον ὅλον ἐπιτροπεύειν φῶμεν τὴν τοῦ ἀλόγου καὶ εἰκῇ δύναμιν καὶ τὸ ὅπῃ ἔτυχεν, ἢ τἀναντία καθάπερ οἱ πρόσθεν ἡμῶν ἔλεγον νοῦν καὶ φρόνησίν τινα θαυμαστὴν συντάττουσαν διακυβερνᾶν;

Si quis in primo exemplo post πᾶν vellet inserere „δοκεῖ καί", vel in secundo post τοὐναντίον „ποιοῦσι καί", vel in tertio post τἀναντία „γίγνεσθαι καί", jure et merito ab omnibus exploderetur. Neque ergo Lucianus, qui e nullo scriptore diligentius formulas Atticas collegit quam e Platone, scribere potuit quod nunc legitur, sed: ὅρα ..... μὴ τοὐναντίον σὺ μὲν εἶ ὁ Ἡρακλῆς τὸ δ' εἴδωλον γεγάμηκε τὴν Ἥβην.

Abdic. § 18_a: οὐχ ὅπως μείζους ἀρχὰς εὐνοίας ἔχων πρὸς ἐμὲ μείζονα καὶ τὰ δίκαια μοι τῆς εὐνοίας εἰσφέρει καὶ ἐπιδίδωσιν, ἢ τό γ᾽ ἔλαττον ..... ἀλλ᾽ .....

Quale aliquid sit εὐνοίας ἀρχὰς ἔχειν vellem aliquis me doceret. Quid si Lucianus scripserit αἰτίας εὐνοίας? Si adhuc dubitas vide locum in altero Phalaride § 1[a]: οὔτ᾽ ἄλλην ἔχων πρὸς αὐτὸν εὐνοίας ἰδίαν αἰτίαν.

Sciolorum additamenta plerumque id tantum efficiunt ut deinceps inter se sequantur duo vocabula idem significantia juncta particula καί vel ἤ; vel ut inter scriptoris verba annotationes reperiantur quibus illustrantur ea quae nemini obscura esse possunt. Ita, quum Lucianus scripsisset in priore Phalaride § 12[a]: ἐγὼ δ᾽ ἔτι ἔμπνουν τὸν ἄνδρα ἐξαιρεθῆναι κελεύσας, magistri annotarunt: „ζῶντα", quo factum est ut nunc legatur „ἔτι ἔμπνουν καὶ ζῶντα."

§ 5[a] Phalaridis verbis ita loquitur legatus:

πρὸς ὀλίγον οὖν τῇ γνώμῃ παρ᾽ ἐμὲ ἀποδημήσαντες καὶ ἰδόντες τὰς παρασκευὰς αὐτῶν καὶ τὰς ἀπειλὰς ἀκούσαντες, εἴπατε τί ἔδει ποιεῖν.

Nemini credo dubium esse potest quid sit παρ᾽ ἐμὲ τῇ γνώμῃ ἀποδημήσαντες. Magistri tamen metuisse videntur ne quis forte oblivisceretur ubi Phalaris tyrannidem exerceret. Ita fit ut ille qui modo magno verborum ambitu de Agrigenti historia et de principatus sui initio disseruit nunc videatur ita loqui: „τῇ γνώμῃ εἰς Ἀκράγαντα παρ᾽ ἐμὲ ἀποδημήσαντες."

Molestius est illud genus additamentorum, de quo modo dixi, et cujus, quia ea labes tam late grassata est, plura etiam

exempla suo loco mihi erunt afferenda; ea dico additamenta quibus grammatici explere sibi videntur quae a scriptore vel consulto vel ex certa omnium Atticorum consuetudine breviter dicta sunt.

Sed de una hujus morbi specie, quia in Phalaride occurrit exemplum, nunc mihi paucis est monendum. Solent nempe Graeci, notissima res est, negandi formula ironice uti: *οὐ μικρόν, οὐκ ἔλαττον, οὐκ ἐπαινῶ, οὐκ ἐῶ, οὐ κατῄσχυνε*, quae omnia etiam majus aliquid significant quam vocabula opposita sine negatione. Magnifice chorus in Oedipo Rege, ut dicat „vehementissime me tuae sortis o Oedipe! miseret," his verbis utitur:

τὸν σὸν δαίμονα τὸν σὸν ὦ
τλᾶμον Οἰδιπόδα βροτῶν
οὐδὲν μακαρίζω.

Sedulo autem, namque videtur ea res pueris magnas exhibuisse molestias, suas appingunt annotationes solita formula *ἀλλά*, et *ἀλλὰ καί*, et *ἀλλὰ καὶ λίαν*. Quae postea in textum recepta, quidquid a scriptoribus acriter et eleganter dictum erat languidum reddunt et putidum. (Exempla vide passim in Cobeti Epimetro Variarum Lectionum). Quod nisi metrum obstaret, locus quem e Sophocle citavi sat scio in multis codicibus sic legeretur: *τὸν σὸν δαίμονα τὸν σὸν ὦ τλᾶμον Οἰδιπόδα βροτῶν οὐδὲν μακαρίζω, ἀλλὰ καὶ λίαν οἰκτείρω.*

Eodem modo, et ita revertor unde sum digressus, § 3ª Phalaris, postquam narravit quomodo ultus sit principes factionis adversariorum, haec addit: „*τοὐντεῦθεν οἱ μὲν οὐκέτι ἐτάραττον, ἐγὼ δ' ἦρχον.*" Non passi sunt scioli haec remanere intacta: codices credo omnes et omnes editiones exhibent: „*τοὐντεῦθεν*

οἱ μὲν οὐκέτι ἐτάραττον ἀλλ' ὑπήκουον." Sed lubenter istud „ἀλλ' ὑπήκουον" auctoribus reddemus. Praesertim si quis agit de subactis hostibus talis ironia placet. Non memini me lepidius exemplum legere quam in Xenophontis Anabasi ubi Cyrus de Oronte: ἐγὼ αὐτὸν προςπολεμῶν ἐποίησα ὥςτε δόξαι τούτῳ τοῦ πρὸς ἐμὲ πολέμου παύσασθαι.

§ 4ª: διασπάσασθαι ἠπείλουν. Si recte novi quid intersit inter futurum et aoristum, διασπάσεσθαι legendum est. Ingens est numerus locorum in Luciano ubi hoc vitium reperitur. Sed editoris est illos omnes habere in promptu.

§ 6ª: „Adversarii" ait Phalaris „invitum me coëgerunt in poenis sumendis acrem esse et severum; εἰ δ' οἱ ἄνθρωποι ἐμὲ τῆς ὠμότητος αἰτιῶνται οὐκέτι λογιζόμενοι παρὰ ποτέρου ἡμῶν ἦν ἡ πρώτη τούτων ἀρχή." Ποτέρου ἡμῶν. Agiturne de duobus hominibus? Opponuntur credo inter se Phalaris et ejus adversarii. Legendum ergo est παρὰ ποτέρων ejecto ἡμῶν.

§ 10: τίνες καὶ ὅθεν καταπεπλεύκασι. L. τίνες καὶ πόθεν. Quam ridicule in talibus peccetur in Luciani editionibus optime docere possunt duo loci inter se comparati. Alter est in Harmonide § 2ª: ὡς δὲ ποιήσας γνωσθήσει ἅπασι καὶ ἐπὶ τὸ πέρας ἀφίξει τῆς εὐχῆς ἐγὼ καὶ τοῦθ' ὑποθήσομαί σοι. Fere eadem leguntur in Scytha sed dempto vitio § 5ª: πῶς δ' ἂν τάχιστα πᾶσαν ἴδοις τὴν πόλιν τῶν Ἀθηναίων, μᾶλλον δὲ τὴν Ἑλλάδα ὅλην, καὶ τὰ Ἑλλήνων καλὰ ἐγὼ ὑποθήσομαί σοι.

In Phalaride altero unus ex Delphorum incolis popularibus suis persuadet insanum, immo nefarium esse si donarium a Phalaride missum non recipiant, (§ 5ª) ἐπεὶ πάντων ἂν εἴη τοῦτ' ἀτοπώτατον πέμψαντά τινα μεγαλοπρεπὲς οὕτω δῶρον θεῷ τὴν καταδικάζουσαν ἐκ τοῦ ἱεροῦ ψῆφον λαβεῖν καὶ μισθὸν

κομίσασθαι τῆς εὐσεβείας τὸ κεκρίσθαι μηδὲ τοῦ ἀνατιθέναι ἄξιος l. ἄξιον.

§ 9a: μέμνηται δ' οὐδεὶς πώποτε ψῆφον ὑπὲρ ἀναθήματος παρ' ἡμῖν ἀναδοθεῖσαν, οὐδὲ κωλυθέντα τινὰ θύειν ἢ ἀνατιθέναι. Illud ψῆφον ἀναδοθεῖσαν Gesnerus vertit „suffragium latum." Primum si Lucianus scripsit ψ. ἀναδοθεῖσαν non est hoc „suffragium ferre." Significaret potius „tabellas a praeside judicibus datas esse et distributas." Ita ἀναδιδόναι dicitur minister qui pocula convivis ministrat. Verum hoc non vult Phalaridis patronus sed ait sua memoria numquam de ullo donario recipiendo judices esse convocatos, numquam de ea re sententias esse rogatas sed semper sine ulla controversia quaecumque aliquis deo voverit esse recepta. Quod si hoc ita est lege ἀποδοθεῖσαν. Usitatissimum hoc Luciano verbum est hac in re: εἰςαῦθις δ' ἀποδοθήσεται περὶ τούτων ἐκκλησία (Jup. Trag. § 12a); ἀποδέδοται περὶ τούτων ἐκκλησία (Conc. Deor. § 1a); οὔτ' ἀπολογίας ἀποδοθείσης (pro Imag. § 15a); λόγος ἀποδίδοται (Abdic. § 9a).

Fortasse scribae quum ἀναδοθεῖσαν daret ἔναυλον erat praecedens ἀναθήματος.

Transeo nunc ad eam declamationem cui titulus περὶ τοῦ οἴκου (LXI), in qua conclave affabre et eleganter aedificatum et ornatum ita laudatur ut primum ostendatur ejus pulchritudinem utilem esse ei qui in eo conclavi declamationem habeat et quasi inflammare eum et ardore rhetorico implere; deinde ipse λόγος prodeat et doceat ornatum conclavis nocere dicenti auditorumque animos ab eo avertere.

Initium faciam ab eo quod legitur § 7a. Laudatur conclavis

τὸ τοῦ χρυσοῦ ἐς τὸ εὐπρεπὲς σύμμετρον ἀλλὰ μὴ περὶ τὰς χρείας ἐπίφθονον. Illud περὶ τὰς χρείας sine dubio vitiosum est. Annotat Gesnerus „non damno penitus hanc lectionem sed magis placeret si reperiatur in libro bono παρὰ τὰς χρείας." Profecto lenis et facilis fuit Gesnerus qui id optarit in codicibus legi quod revera legitur! Nam inter περί et παρά in codicum scriptura quid interest? Sed ego et „penitus damno" lectionem vulgarem, et παρά si singulis literis exaratum in codice vel optimo legeretur abjicerem. Nam si dicatur e. gr. παρὰ πάντα τὰ δίκαια (D. Mort. 19, 1), ergo etiam dici potest παρὰ τὰς χρείας? Atque illud, si Gesnero fidem habeas, significaret „praeter usus necessarios certe decoros." Quod vide an Lucianus voluerit. Quasi umquam aurum ad usus necessarios pertineat! Et quid sibi vult pluralis numerus χρείας? Ergo εἰ ἐν εὐχαῖς τὸ πρᾶγμα εἴη aliud quid ego eligerem. Sed etiam absque ope codicum quid Lucianus scripserit constitui potest. Requiritur enim id quod significet „ornatum illum modum non excedere;" hoc est μὴ π έ ρ α τ ῆ ς χ ρ ε ί α ς, quocum conferas πέρα τοῦ πιθανοῦ (Charon. 5); πέρα τοῦ μετρίου (Catapl. 2); πέρα τοῦ μέτρου (Navig. 1); πέρα τοῦ καλῶς ἔχοντος (Dial. Mort. 15, 1).

§ 9[a]: καὶ τὸ ἀκριβὲς καὶ τὸ ἀληθὲς ἔαρος ὄψει καὶ λειμῶνι δ' εὐανθεῖ καλῶς ἂν ἔχοι παραβαλεῖν πλὴν παρ' ὅσον μὲν ἐκεῖνα ἀπανθεῖ καὶ ..... τουτὶ δὲ τὸ ἔαρ ..... Primum transpone: ἐκεῖνα μέν. Deinde et aliud est quod displiceat. Si qua res alii rei ita similis esse dicatur ut tamen uno nomine differat, utuntur verbis παρ' ὅσον. Ita in Peregrino § 1[a]: καὶ νῦν ἐκεῖνος ἀπηνθράκωταί σοι ὁ βέλτιστος κατὰ τὸν Ἐμπεδοκλέα παρ' ὅσον ὁ μὲν κἂν διαλαθεῖν ἐπειράθη, ὁ δὲ γεννάδας οὗτος τὴν πολυαν-

θρωποτάτην τῶν Ἑλληνικῶν πανηγύρεων τηρήσας κ. τ. λ. (Cf. praeterea Scyth. § 11a. De hist. conscr. § 18a.) Dicunt etiam πλὴν ὅσον (Imag. § 17a). Sed πλὴν παρ' ὅσον non videtur ferendum. Dele ergo πλήν.

§ 3a: οἴκων ὁ κάλλιστος ὥσπερ τὰ ἄντρα συνεπηχῶν ..... μᾶλλον δὲ ὡς ἄν τις εὐμαθὴς ἀκροατὴς διαμνημονεύων τὰ εἰρημένα. Quis sit usus vocularum ὡς ἂν nemo melius docet quam ipse Lucianus. „Elliptice" enim ut ajunt ponuntur ita ut verbi finiti optativus cogitando sit supplendus. Ex. gr. Alex. § 8a: ὡς γὰρ ἂν δύο κάκιστοι καὶ μεγαλότολμοι ..... ῥᾳδίως κατενόησαν τὸν ἀνθρώπων βίον; id est: ὡς ἂν κατανοήσειαν δύο κάκιστοι κ. τ. λ. In Charone: ξεναγήσεις γὰρ εὖ οἶδ' ὅτι ὡς ἂν εἰδὼς ἅπαντα. Verti ergo latine potest: „ut expectandum erat a . ." vel „utpote qui." Sed non potest aliquis vel aliqua res dici „ὡς ἄν τις εὐμαθὴς ἀκροατὴς διαμνημονεύειν" nisi revera εὐμαθὴς ἀκροατὴς sit. In nostro vero loco non nisi imago adhibetur; lege ergo ὥς τις εὐμαθὴς ἀκροατὴς vel ὥσπερ τις ε. α.

Quo magis opinionem meam stabiliam, adscribam omnes quantum scio locos in Luciano ubi ὡς ἂν ita ponitur: Alex. 8, 31, 36; Philops. 14; Hermot. 32, 34; Zeux. 10; Nigrin. 13; Jup. Conf. 12; Charon. 1; Imag. 17; Tyrannic. 3, 4; Phal. I, 14; De Sacrif. 3; De Calumn. 3, 32; Verae Hist. I, 6.

Quibus addendus videtur alius in Hermotimo locus § 39a, ubi nunc est: οὐκοῦν ἄμεινον σὺ ἂν εἴποις ὡς ἐγγύθεν ἰδών l. ὡς ἂν ἐγγύθεν ἰδών, significat enim „utpote qui ex propinquo videris."

Ex eo usu fieri potest ur ὡς ἂν additum sibi habeat par-

ticipium futuri; unde tamen non sequitur conjunctionem ἄν unquam cum futuro, praeterquam in optativo jungi posse, namque in talibus ἄν pertinet ad optativum qui supplendus est.

In Charone § 14[a]: ἐν τοσούτῳ δ' ἐπαιρέσθων ὡς ἂν ἀφ' ὑψηλοτέρου ἀλγεινότερον καταπεσούμενοι i. e. καταπεσούμενοι ἀλγεινότερον ὡς ἂν (καταπίπτοιεν) ἀφ' ὑψηλοτέρου (καταπίπτοντες). Et in Patriae Encomio § 8[a]: ἔστιν ἰδεῖν ἐς τὴν πατρίδα ἅπαντας ἐπειγομένους ὡς οὐκ ἂν ἐν ἄλλοις βελτίοσιν ἐπιδειξομένους τὰ ἑαυτῶν καλά; nisi quod ibi „οὐκ" alieno loco positum est; lege: ὡς ἂν οὐκ ἐν ἀ. β. ἐπ. τὰ ἑ. κ.

Secundum hanc normam emendandus est locus in Tyrannicida § 20[a]: ὑπ' ἐμοῦ φονευόμενος καὶ τιτρωσκόμενος πολλοῖς τραύμασιν ἐς τὰ φανερὰ τοῦ σώματος ὡς ἂν μάλιστα λυπήσειν ἔμελλον τὸν γεγεννηκότα l. ὡς ἂν μάλιστα λυπήσειν μέλλων i. e. ὡς ἂν (τιτρώσκοιτο) μάλιστα λ. μ. et latine: utpote qui ita patrem suum gravissimis doloribus esset affecturus.

De Domo § 18[a]: καὶ οὐχ οὕτω Δημόδοκος ἢ Φήμιος ἢ Θάμυρις ἢ Ἀμφίων ἢ Ὀρφεύς τις λέγων ἐστί. Potestne dici „λέγων δεινός" peritus dicendi? Non credo, sed ut fiat: „nemo ita Orpheus est in dicendo" lege λόγων. Ita ipse scriptor ab aequalibus dictus est Προμηθεὺς ἐν λόγοις.

§ 5[a]: De Pythii aurea platano „τέχνη δ' ἢ κάλλος ἢ τέρψις ἢ τὸ εὔρυθμον οὐ συνείργαστο οὐδὲ κατεμέμικτο τῷ χρυσῷ." Ars vel pulchritudo non potest „una cum auro esse elaborata", quemadmodum Gesnerus vertit. Lege συνειργάζετο. Namque ars vel pulchritudo eodem modo συνειργάζετο τῷ χρυσῷ quo Minerva Prometheo συνειργάζετο ἐμπνέουσα τὸν πηλὸν καὶ ἔμψυχα ποιοῦσα τὰ πλάσματα (Prom. 3).

§ 13ᵃ: παρελήλυθα ὥσπερ ὑπὸ Ἴυγγος ἢ Σειρῆνος τῷ κάλλει ἑλκόμενος. Hic quoque credo a scribis obscuratam esse elegantem dicendi formulam: ὥσπερ ὑπὸ Ἴυγγος ἢ Σειρῆνος τοῦ κάλλους ἑλκόμενος.

§ 25ᵃ: Ornabatur conclave picturis quarum in una erat „Perseus Medusam interficiens": ὁ δὲ τὴν μὲν τόλμαν εἴργασται ἤδη, τὸ δ' ἔργον οὐχ ἑώρακέ πω, ἀλλ' ἐπὶ τῆς ἀσπίδος τῆς Γοργόνος τὴν εἰκόνα. ἀλλ' inseruit Dindorf. credo; Gesner. ἢ μή. Mihi inserendum videtur ἀλλ' ἢ et delendum τῆς Γοργόνος τὴν εἰκόνα, puerilem interpretationem vocabuli τὸ ἔργον. Recte nunc sequitur οἶδε γὰρ τὸ πρόστιμον τῆς ἀληθοῦς ὄψεως. Nam egregie τῷ ὁρᾶν ἐπὶ τῆς ἀσπίδος opponitur ἡ ἀληθὴς ὄψις.

In alia pictura erat Ulyssis ficta insania: καὶ τὰ μὲν τῆς ὑποκρίσεως πιθανὰ πάντα, ἡ ἀπήνη, τὸ τῶν ὑπεζευγμένων ἀσύμφωνον, ἡ ἄγνοια τῶν δρωμένων l. ἡ ἄνοια. Nam profecto non ignota erant quae Ulysses agebat.

Quod modo dixi Luciani opera rhetorica tanto ejus scriptis satyricis inferiora esse ut mirandum non sit a multis viris doctis ea si non neglecta at minus curiose saltem tractata esse, id maxime licet profiteri de declamationibus quas senex scripsit; nam nisi in iis reperirentur nonnulla quae ad scriptoris vitam et studia pertinerent, vix lectu dignae essent. Luculentum hujus judicii documentum praebent duae προλαλιαί, altera nomine „Baccho," altera „Hercules" inscripta (LIV et LV apud Dind.). Sunt illae declamationes ita scriptae ut satis mirari non possis lepidissimum dialogorum scriptorem

non erubuisse talia in publico conventu recitare. Sermo non solum non est elegans, verum etiam subinde paene absurdus; nimis sibi rhetor placet in magno verborum ambitu; quidquid ei in mentem venit quo Antiquitatis doctrinam ostentare possit sermoni suo admiscet; proverbia et locos e poetis antiquis citatos inficeto modo inter se jungit; et quod maximum est, in oratione interdum mira est et puerilis inconcinnitas.

Primum eorum quae dixi exempla afferam; deinde et menda quaedam indicabo quae mihi non a Luciano, verum a scribis commissa esse videntur.

Jam statim in „Herculis" initio habes in quo offendas. „Hercules ille Gallicus sive Ochmius" rhetor ait „ea facie eaque forma a Gallis depingitur ut *μᾶλλον Χάρωνα ἢ Ἰαπετόν τινα τῶν Ὑποταρταρίων καὶ πάντα μᾶλλον ἢ Ἡρακλέα εἶναι ἂν εἰκάσειας.*" Illud *καὶ πάντα μᾶλλον ἢ Ἡρακλέα* quisquis credo paulo venustior omisisset.

Sed multo absurdius aliquid legitur § 3^a^. Postquam scriptor jam multa verba impendit in describendo illo Hercule Gallico, ita pergit: *καίτοι τὸ παραδοξότατον οὐδέπω ἔφην τῆς εἰκόνος.* Sequitur deinde descriptio eorum qui Herculem comitantur, *δεδεμένοι ἐκ τῶν ὤτων*, attamen non renitentes, verum ducem suum laudantes ridentesque. Putares si et illi comites satis magnis ambagibus descripti sint totam jam narrationem de miro isto Ochmio ad finem pervenisse; ubi enim jam *τὸ παραδοξότατον* narratum est nihil ultra est exspectandum. Falleris! Statim post illos comites quid sequitur? „*ὃ δὲ πάντων ἀτοπώτατον εἶναί μοι ἔδοξεν, οὐκ ὀκνήσω εἰπεῖν καὶ τοῦτο.*" Quod ergo deinceps narratur id vero est *ἀτοπώτερον τοῦ παραδοξοτάτου*! Verum quidem est eandem incuriam reperiri in Necyo-

mantia § 4^{a} et 5^{a} (καὶ τὸ πάντων ἀτοπώτατον ..... πολλῷ δὲ τούτων ἐκεῖνο ἀλογώτερον). Sed in dialogo talia ferri possunt, neque erat quod Lehmannus (III, 373) hoc quoque argumento uteretur quo Necyomantiam Luciano abjudicaret. Oratori talis licentia concedenda non est.

Bacch. § 5^{a}. Ubi jam narratio de Bacchi expeditione adversus Indos ad finem est perducta, scriptor ad se ipsum suasque res transit; non tamen ita quin et quaedam admisceat quae tantum in praecedenti oratione locum habere possint. „Plerique" ait „similes sunt Indorum, quod quidem ad meas recitationes pertinet, et partim οὐδὲ τὴν ἀρχὴν ἀφικνοῦνται ὡς οὐδὲν δέον παρέχειν τὰ ὦτα κώμοις γυναικείοις καὶ σκιρτήμασι σατυρικοῖς..... hucusque res bene procedit; statim vero additur „καταβάντας ἀπὸ τῶν ἐλεφάντων" quod tantum in narratione de Baccho et Indis recte positum esset. Quamquam ibi ne Indi quidem de elephantibus descendentes inducuntur. (Cf. § praec.) Fieri tamen potest, nam fere nimis absurdus mihi hic locus videtur, ut error commissus non sit a Luciano sed invectus a docto interpolatore. Reperiuntur eadem verba in Fugitivis § 6^{a}, ubi Philosophia: ὁρμήσασα εἰς Ἰνδοὺς τὸ πρῶτον, ἔθνος μέγιστον τῶν ἐν τῷ βίῳ, οὐ χαλεπῶς ἔπεισα καταβάντας ἀπὸ τῶν ἐλεφάντων ἐμοὶ συνεῖναι. Recte haec et eleganter dicta sunt. Quod si quis diceret hinc in nostrum locum vocabula „καταβάντας ἀπὸ τῶν ἐλεφάντων" esse invecta, non repugnarem equidem.

Ante omnia vero nauseam parit ostentatio illa doctrinae, loci ex Antiquis citati inficetum in modum cumulati. Omnium instar est quod legitur in Herc. § 8^{a}, ubi post grandia et magnifica verba: „(ὁ Ἔρως) χρυσοφαέννων πτερύγων ἀήταις

παραπετέσθω" statim vulgare illud et, fere dicam, plebejum adnectitur *„καὶ ὁ Ἱπποκλείδης οὐ φροντιεῖ."*

Monstri vero simile est quod in fine ejusdem libelli legitur. Comparat se scriptor cum naviganti: *„νῦν γε μάλιστα πλησιστίου ἐσθλοῦ ἑταιροῦ ἀνέμου* (sic legendum est pro *πλησιστίου καὶ ἐσθλοῦ ἑτ. ἀ.*) *δεόμεθα, ἵνα καὶ τὸ Ὁμηρικὸν ἐκεῖνό τις ἐπιφθέγξηται.....* Quid tandem? Nihil quod ad navigium vel navigantem pertineat. Scriptor enim, memor versus Homerici, hunc quocumque tandem pacto verbis suis admiscere sibi destinatum habet. Ita fit ut post ventum illum secundum et navigium illud legatur quod minime exspectares:

„οἵην ἐκ ῥακέων ὁ γέρων ἐπιγουνίδα φαίνει."

Profecto Lucianus, haec quum scriberet, erat quod lepide aliquando dixit P. L. Courrier „Vieilli, mal inspiré, brouillé avec les Muses."

Indicabo nunc unum et alterum locum e libellis, de quibus dixi, ut vitio liberem.

Bacch. § 3a: *„σφίσι δὲ καὶ αἰσχρὸν ἐδόκει νικᾶν καὶ φονεύειν γύναια μεμηνότα, καὶ θηλυμίτρην ἄρχοντα, καὶ μεθύον μικρὸν γεροντίον, καὶ ἡμιστρατιώτην ἄλλον, καὶ γυμνῆτας ὀρχηστάς, πάντας γελοίους."*

Non video cur Pan potissimum *ἡμιστρατιώτης* appellandus sit; nam neque in eo vocabulo aliqua contemptus notio inest, neque bene convenit in eum cujus arma tantum sint *σύριγξ* et *ῥάβδος καμπύλη*.

Quid vero si esset non *ἡμιστρατιώτης*, verum (ut hanc vocem fingam) *ὁλοστρατιώτης*? Nonne summa laus belligerantis esset?

Attamen ubi cum contemptu de aliquo dicitur ea vis est talium compositorum ut omnis reprehensio insit in secunda parte; velut si quis dicatur ἡμιβάρβαρος tamen convicium non est tam acerbum quam si βάρβαρος appelletur. Interpres, qui vertit „semimilitem", vocem ita cepisse videtur, quasi significaret „hominem pro altera tantum parte nomine militis dignum." Hoc si per linguae indolem liceret, non esset mirandum si alicubi reperires homini rudi et agresti ignominiae causa nomen „ἡμιέλλην" inditum. Dicam quid sentiam huic loco accidisse. Scriptum erat: „ἡμίτραγον," pro quo lectum est, quod, praesertim si literis uncialibus exaratum cogites, facile fieri potuit, „ἡμίτρατον." Quod quum non esset vocabulum Graecum scriba inde fecit „ἡμίστρατον." Qui autem dedit quod nunc legitur „ἡμιστρατιώτην," admodum sibi visus est ingeniosus quum pro „semi-exercitu" „semi-militem" restitueret scilicet.

Deinde Bacchi comites scriptor vocat „γυμνῆτας ὀρχηστάς." Legebatur antea „γυμνήτας ὀρχηστάς", ita ut γυμνήτας idem esset quod γυμνούς. Quamquam autem verisimile non est Lucianum ita vocabulo „γυμνήτης" usum esse, tamen bonum sensum praeberet. Qui vero illi ἄγροικοι νεανίαι dici possunt „levis armaturae milites?" qui ut nudi describuntur, nullis armis quibus se defendant instructi, ne hederas quidem, ut Maenades, manu tenentes. Non convenit in tam imbecillos pueros ullum vocabulum e re militari petitum. Quid si et hic ut § 1[a] „γυμνούς" scriptum fuerit? Si videatur correctio nimis audax finge tibi vocabula γυμνοὺς ὀρχηστάς compendiis scripta. Facile fieri potuit ut compendium pro ους abierit in η. (Bast.

Comm. Pal. monet ους et α saepe confundi; in multis autem codicibus praesertim recentioribus α et η vix distinguuntur). Quum semel legeretur γυμνη ὀρχηστάς scribae nihil antiquius habuerunt quam ut vitioso γυμνη adderent terminationem sequentis ὀρχηστάς et ita saltem Graecum vocabulum efficerent.

Bacch. § 4[a]: τοῦ κέρως δὲ αὐτῷ, τοῦ δεξιοῦ μὲν ὁ Σειληνός, τοῦ εὐωνύμου δὲ ὁ Πὰν ἡγοῦντο. Satis mihi persuasum est ista sana non esse et vehementer claudicare orationem. Si enim inter se jungas „τοῦ κέρως τοῦ δεξιοῦ μὲν" et ad „εὐωνύμου" cogitando suppleas „τοῦ ..... κέρως" haerebis in plurali „ἡγοῦντο," et „μέν" in „τοῦ κέρως τοῦ δεξιοῦ μέν" non erit sua sede positum. Sin propter duplex subjectum verbum in plurali positum esse arbitreris, obstabit singulare „κέρως." Scribendum videtur „τῶν κερῶν." Ita et locutio et verborum scriptura evadet expeditissima: ipse medium agmen ducebat, τῶν κερῶν δὲ ἡγοῦντο, τοῦ δεξιοῦ μὲν ὁ Σειληνός, τοῦ εὐωνύμου δὲ ὁ Πάν. Nam medio agmini opponi debent τὰ κέρατα, non τὸ κέρας. Neque latet corruptelae causa. Quemadmodum enim fere semper scribae turbarunt numeros ubi subjecto „ἕκαστος" vel „ἄλλος ἄλλο" simm. additum est (exempla vide in Cob. Var. Lect. p. 113 sq., Nov. Lect. p. 41), ita et hic, ut numerus substantivi cum numero proxime sequentis adjectivi congrueret, „τῶν κερῶν" in „τοῦ κέρως" mutarunt. Neque mirandum esset si „τῶν κερῶν" intactum mansisset, contra „ἡγοῦντο" abiisset in „ἡγεῖτο."

Simile aliquid accidit loco in Jove Tragoedo (XLIV) § 25[a]. Queritur Jupiter sacrilegos simulacro suo abstulisse „δύο τῶν πλοκάμων ἓξ μνᾶς ἑκάτερον ἕλκοντα", ubi receptam oportuit

variam lectionem „ἕλκοντας." Etenim οἱ πλόκαμοι εἷλκον ἐξ μνᾶς ἑκάτερος. Rectissime legitur in Dial. Meretr. (LXVII) 7 § 1a: „τὰ δύο περιδέραια, τὰ Ἰωνικά, ἕλκοντα ἑκάτερον δύο δαρεικούς." Et in Catapl. s. Tyrann. § 9a: „καὶ τοὺς δύο κρατῆρας οὓς ἔλαβον ἀποκτείνας Κλεόκριτον, ἕλκοντας ἑκάτερον χρυσοῦ ἀπέφθου τάλαντα ἑκατόν." Videsne quale sit in rebus grammaticis judicium scribarum? Ubi ἕλκοντας praecedit intactum relinquunt, ubi sequitur in ἕλκοντα mutant!

Bacch. § 5a: „ἀναμνησθῶσιν οἱ παλαιοὶ συμπόται κώμων κοινῶν τῶν τότε καιρῶν." Graecum credo est „οἱ κῶμοι οἱ τότε", et „τῶν κώμων τῶν τότε", sed neque „οἱ κῶμοι οἱ τῶν τότε καιρῶν", neque „τῶν κώμων τῶν τῶν τότε καιρῶν", minime vero κώμων τῶν τότε καιρῶν, ita ut κώμων omnino non habeat articulum eo loco ubi articulo non minus opus est quam in sequentibus „τῶν Σατύρων καὶ Σειληνῶν", „τοῦ κρατῆρος." Delendum videtur „καιρῶν", additamentum jam saepius ni fallor a viris doctis similibus locis expunctum.

Quamquam neque in hac neque in altera prolalia scriptor abhorret a magno verborum ambitu, tamen non credo eum scripsisse (Herc. § 3a): „ὁ γὰρ δὴ γέρων Ἡρακλῆς ἐκεῖνος", ubi vel vocabulum „ἐκεῖνος", arguit „Ἡρακλῆς" non esse ferendum; neque § 5a: πρὸς τὴν γλῶτταν ὁ γέρων οὗτος Ἡρακλῆς ὁ λόγος. Quis enim umquam ita est locutus? Sed multis verbis opus esse non arbitror ubi moleste sedulum magistrum annotantem videre tibi videaris „Ἡρακλῆς ὁ λόγος."

Quod ante in universum de vocabulo καί dixi, saepe in Luciani codicibus desiderari, saepius etiam supervacaneum esse

vel alius vocabuli sedem occupavisse, hujus rei etiam in „Baccho" exemplum reperitur.

§ 1[a]: Ubi Indi de Bacchi exercitu et armis sermonem faciunt ita de tympanis loquuntur ut ea dicant: *πελτάρια κοῦφα, βομβοῦντα εἴ τις μόνον προσάψαιτο.* Addit ipse scriptor *ἀσπίσι γὰρ ἤκαζον καὶ τὰ τύμπανα.* Quia nihil est in Bacchi exercitu quod ullo modo, ne ab attonitis Indis quidem cum scutis comparari possit praeter tympana, non metuo ne nimis audacter agere videar si *καί* sede moveam.

Quoniam semel hac in re versor addam unum locum e „vita Demonactis" (XXXVII) manifestius etiam hoc malo laborantem.

Est § 23[a]. Ridet Demonax magum quendam gloriantem se formulis suis quidvis sibi parare posse. Respondet Demonax: „nil mirum; quin et ego hanc artem calleo; eamus modo *πρὸς τὴν ἀρτόπωλιν*; videbis me quoque habere formulam quandam et venenum magicum quo ei persuadeam ut mihi de suis panibus det." (quibus non admodum necessario adduntur verba „*κἰνιττόμενος τὸ νόμισμα ὡς τὰ ἴσα τῇ ἐπῳδῇ δυνάμενον*"). Haec tum demum apte responsa erunt si praecedentia ita legantur:

„*ἀλλὰ καὶ μάγου τινὸς εἶναι εἰπόντος καὶ ἐπῳδὰς ἔχειν ἰσχυρὰς ὡς ὑπ' αὐτῶν ἅπαντας ἀναπείθειν παρέχειν ὁπόσα βούλεται.*" ejecto *καί* quod interposuit scriba qui concoquere non posset duos infinitivos deinceps scriptos sine conjunctione.

Scatere Luciani codices editionesque dixi additamentis, quae grammatici adscripserint, vel ut breviores dicendi formulas explerent, vel ut exquisitiora vocabula quotidianis vocabulis explicarent et interpretarentur. Quoniam nihil est quod magis istis interpretamentis obscuret scriptoris antiqui elegantias, magisque taedium moveat lectori, habebit fortasse aliquam utilitatem si hunc locum diligentius exsequar. Colligam ergo hac parte libelli mei insigniora quaedam utriusque generis exempla. Verum ne quis temeritatis me arguat caute et circumspecte agam et de multis pauca quaedam eligam, de quibus semel admonitus vix est quod quis dubitet.

Ordinem aperiat locus in Timone § 25[a]. Plutus Mercurium docens qui fiat ut plerumque ad improbos tantum veniat, his verbis utitur: „τοιγαροῦν ἅτε τῶν μὲν ἀγαθῶν ὀλίγων ὄντων, πονηρῶν δὲ πλείστων ἐν ταῖς πόλεσι τὸ πᾶν ἐπεχόντων . . .” Nimirum si improbi τὸ πᾶν ἐπέχουσι, necesse est magnam eorum esse copiam. Sed nemo credo inducet in animum dicere: „πονηροὶ πλεῖστοι τὸ πᾶν ἐπέχουσι.” Addidit illud πλείστων magister aliquis ut praecedens ὀλίγων haberet quod opponeretur, de ceteris satis securus.

Dial. Deor. VI, 2: Ubi Juno marito suo Ixionis protervitatem enunciavit haec verba addit: „σὺ δ' αὐτὸς ὅρα ὅπως

μέτει τὸν ἄνδρα." Jubentis est ὅπως cum futuro. Notissimus ille usus est ex Aristophane, e. gr. Acharn. 253:

„ἄγ' ὦ θύγατερ ὅπως τὸ κανοῦν καλὴ καλῶς οἴσεις."

Sed et apud Lucianum uno et altero loco salva evasit haec formula, e. gr. Timon. § 48[a], ubi parasitus ad Timonem: „χαῖρ' ὦ δέσποτα καὶ ὅπως τοὺς μιαροὺς τούτους κόλακας φυλάξει." Quis ergo credet eundem Lucianum aliis locis addidisse ὅρα et σκόπει? Non esset haec grata varietas sed puerilis inconstantia. Ergo lege pro Imag. § 12[a]: „σὺ δὲ ὦ Λυκῖνε ὅπως μετακοσμήσεις τὸ βιβλίον" deleto σκόπει, in Timarch. § 7[a]: „ἄγ' ὦ προλόγων καὶ δαιμόνων ἄριστε Ἔλεγχε ὅπως σαφῶς προδιδάξεις" deleto ὅρα, et in Paras. § 9[a]: „ἀλλ' ἐκεῖνο ὅπως καὶ ὅρον ἡμῖν τινὰ γενναῖον ἀποδώσεις τῆς παρασιτικῆς," ejecto σκόπει, ad quem locum cf. Hirschig. in dissertatione.

Dial. Deor. XX, 6: Mercurius Junoni Veneri et Minervae, quibus ad Paridem viam monstrat, narrat quomodo Ganymedem rapuerit Jupiter ἤδη ἐν τῷ ἀετῷ ὤν: „καταπτάμενος δ' αὐτὸς ὁ Ζεὺς κούφως μάλα τοῖς ὄνυξι περιβαλὼν καὶ τῷ στόματι τὴν ἐπὶ τῇ κεφαλῇ τιάραν ἔχων ἀνέφερε τὸν παῖδα." Quam inepte illud „αὐτὸς ὁ Ζεύς" dictum sit apparebit si reputes neminem Jovem esse comitatum praeter Mercurium; illum autem, (quod ipse paulo ante narravit) in Ganymede rapiendo nullam operam Jovi praestitisse quam quod συνεκούφιζε τὸν καλόν; ergo ipsum Jovem rapuisse puerum jam tam certo constat ut supervacaneum, immo intolerabile sit iterum hoc dicere. Sed restituenda est elegantissima locutio: nempe ejecto „ὁ Ζεύς" legendum est: „καταπτάμενος δ' αὐτός." Ita enim servi

de dominis suis loquuntur, quod hoc loco admodum jocosum et lepidum est.

Necyom. § 2[a]: Philonides Menippum ex inferis reducem rogat: „τί φῄς; δέδοκταί τι νεώτερον τοῖς κάτω περὶ τῶν ἐνθάδε;" Respondet ille: „Νὴ Δία, καὶ πολλά γε· ἀλλ' οὐ θέμις ἐκφέρειν αὐτὰ πρὸς ἅπαντας οὐδὲ τὰ ἀπόρρητα ἐξαγορεύειν μὴ καί τις ἡμᾶς γράψηται γραφὴν ἀσεβείας ἐπὶ Ῥαδαμάνθυος." Fieri potest, concedo, ut aliquis alicujus rei ita gnarus sit ut tamen nonnumquam peccet erroremque committat; namque aliud est aliquam rem scire, aliud eam tam firmiter memoriae infixam habere ut numquam obliviscaris. Sed hoc plerumque Attici sermonis imitatoribus accidet in verborum formis aliisque rebus minutioribus. Numquam vero mihi persuadebitur scriptorem qualis est Lucianus Attica aliqua dicendi formula saepius recte et ex communi Atheniensium consuetudine uti, uno alteroque loco eandem formulam consulto ita depravare ut evadat quod omnino non sit Graecum, nedum Atticum. Quo tamen desipientis magis quam venusti scriptoris vitio laborasse Lucianus censendus esset si hoc loco scripsisset: „ἡμᾶς γράψηται γραφὴν ἀσεβείας ἐπὶ Ῥαδαμάνθυος", quum recte dederit in Cataplo § 18[a]: „ἀμέλει γράψομαί σε παρανόμων ἐπὶ Ῥαδαμάνθυος", et in Bis Accusato § 31[a]: „γράψασθαι μὲν αὐτὴν ἀσεβείας οὐκ ἐδοκίμαζον."

Charon. § 12[a]: Solon ad Croesum ita loquitur: „ἀλλ' ἤν τε χαλκὸν ἤν τε χρυσὸν ἀναθῇς ἄλλοις μέν ποτε κτῆμα καὶ ἕρμαιον ἔσει ἀνατεθεικώς." Vocabulum „ἕρμαιον" Luciano tam usitatum est ut verisimile non sit eum hoc loco addidisse „κτῆμα καί." Tollitur enim et obscuratur hoc additamento vera vocabuli „ἕρμαιον" significatio.

Absurdum emblema cujus tamen exempla hic illic in quovis Attico scriptore reperiuntur legitur in Hermot. § 31[a]: „εἴ τις Αἰθίοψ, μηδεπώποτε ἄλλους ἀνθρώπους ἰδὼν οἷοι ἡμεῖς ἐσμὲν . . . . ἔν τινι συνόδῳ τῶν Αἰθιόπων διϊσχυρίζοιτο καὶ λέγοι μηδαμόθι τῆς γῆς ἀνθρώπους εἶναι λευκοὺς . . . ." Unusquisque, credo, mihi concedet Latinum non esse „affirmabat et dicebat", neque Graecum „διϊσχυρίζετο καὶ ἔλεγεν." Verba enim „καὶ λέγοι" insunt in „διϊσχυρίζοιτο", quibus additis non minus omnis locutionis vis et acrimonia perit, quam si dicas „βοᾷ καὶ λέγει" et simm. Vide Cobet. V. L. p. 448.

Ibid. § 76[a]: „λήθη τις ἔστω αὐτῶν ὥςπερ τῶν πρὸ Εὐκλείδου ἄρχοντος πραχθέντων." Proverbium „τὰ πρὸ Εὐκλείδου πραχθέντα" tam erat Athenis in ore vulgi ut aeque absurdum esset addere vocabulum „ἄρχοντος" ac si quis nostratium hoc tempore loqueretur de „expeditionibus Imperatoris Napoleontis." Si quis adhuc dubitet argumento utar quod magis etiam valeat ad convincendum. Ipse Lucianus ita loquitur quasi vivat stante adhuc republica Atheniensium. Vide modo Catapl. § 5[a]: „τί γάρ με δεῖ πράγματα ἔχειν τὰ πρὸ Εὐκλείδου νῦν ἐξετάζουσαν;"

Ibid. § 85[a]: „τὰ γὰρ αὐτὰ πρὸς σὲ εἶπον ἂν εἰ τὰ Πλάτωνος ἢ Ἀριστοτέλους ἤρησο τῶν ἄλλων ἀκρίτων ἐρήμην καταγνούς." Delendum est „ἀκρίτων." Nam „ἐρήμην καταγνῶναι" et „ἐρήμην καταδικιτᾶν" Luciano usitatiores sunt formulae quam ut nonnumquam aliquod vocabulum explicandi gratia adderet. Cf. Pisc. § 32[e]: „ὥστε ἐρήμην ἡλίσκεσθε μετ' αὐτοῦ"; Hermot. § 30[a]: „οὐδ' ἐρήμην ἡμῶν καταδικιτᾶν"; pro Imag. § 15[a]: „ἐρήμην καταδικιτήσας τοῦ βιβλίου"; Bis Accus. § 25[a]: „ἐρήμην αὐτοῦ καταδικασάτωσαν"; Anach. § 40[a]: „μὴ ἐρήμην . . . .

οἴου κρατεῖν"; Deor. Cons. § 18ª: „ἐρήμην αὐτοῦ καταδιαιτησάτωσαν."

Quis credat Lucianum scripsisse quod legitur in Alex. § 2ª: „ἐν πανδήμῳ τινὶ μεγίστῳ θεάτρῳ," vel § 15ª: „ὑπὸ μάλης ἔχων καὶ ἀποκρύπτων?" Nimis diu talia antiquos scriptores obsident. Sic in Herodoto (VII, 2, 3) ad hunc usque diem legitur: „καί οἱ φυγόντι ὑπὸ τῶν Πυλαγορῶν, τῶν Ἀμφικτυόνων ἐς τὴν Πυλαίαν συλλεγομένων, ἀργύριον ἐπεκηρύχθη."

In Alex. § 2ª scioli additamentum quod a Luciano lepide et eleganter dictum erat languidum reddidit et jejunum. Legitur enim: „αἰδοῦμαι δ' οὖν ὑπὲρ ἀμφοῖν, ὑπέρ τε σοῦ καὶ ὑπὲρ ἐμοῦ, σοῦ μὲν ἀξιοῦντος . . . ., ἐμαυτοῦ δὲ σπουδὴν ποιουμένου . . . . ." Ejice verba: „ὑπέρ τε σοῦ καὶ ὑπὲρ ἐμοῦ" et Luciani manum restitues.

Alio ejusdem libri loco moleste sedulus magister effecit ut quod Lucianus scripsit ita sit interpolatum ut ne intelligi quidem possit. Est locus quem fere conclamatum dicas: ita alius alio modo conatus est restituere; nemo tamen ita ut acquiescere possis. Legitur § 4ª: „τοιόσδε μὲν τὴν μορφήν· ἡ ψυχὴ δὲ καὶ ἡ γνώμη, ἀλεξίκακε Ἡράκλεις καὶ Ζεῦ ἀποτρόπαιε καὶ Διόσκοροι σωτῆρες, πολεμίοις καὶ ἐχθροῖς ἐντυχεῖν γένοιτο ἢ συγγενέσθαι τοιούτῳ τινί." Fieri non potest ut quis haec legat quin statim cogitet de formula imprecandi, praesertim Luciano usitatissima: σοὶ γένοιτο, ἐχθροῖς γένοιτο et simm., persuasissimumque mihi est hoc quoque loco Lucianum hoc voluisse. Consulto tamen viri docti hujus formulae opem spernunt et in alia omnia abeunt; quin etiam nonnulli opinati sunt „ἢ" hoc loco idem esse quod „μᾶλλον ἤ." Dindorfius autem in

editione sua dat: „πολεμίοις καὶ ἐχθροῖς ἐντυχεῖν γένοιτο καὶ μὴ συγγενέσθαι τοιούτῳ τινί", Fritschius: „πολεμίοις καὶ ἐχθροῖς ἐντυχεῖν γένοιτο καὶ συγγενέσθαι μὴ τοιούτῳ τινί." Verum si licet talibus viris obloqui, ita evadit non solum durissima locutio, sed sensus quoque utriusque lectionis plane alienus est a Luciani mente. Alexander enim revera inter Luciani acerrimos inimicos erat, ergo eum opponere τοῖς πολεμίοις καὶ ἐχθροῖς paene absurdum est. Nihil ergo restat quam ut ad imprecandi formulam confugiamus. Legendum nempe est: „πολεμίοις καὶ ἐχθροῖς ἐντυχεῖν γένοιτο τοιούτῳ τινί". Vocabula autem a grammatico ut „ἐντυχεῖν" explicaret adscripta „ἢ συγγενέσθαι" omnes illas turbas dederunt; quae si deleveris nulla jam remanet difficultas. Moris enim Lucianei est in talibus verbum ponere ante „γένοιτο"; vide Somn. s. Gall. § 30[a]: „ἐχθροῖς οὕτω πλουτεῖν γένοιτο".

Imag. § 4[a]: „ἴθι μοι καὶ τόδε ἀπόκριναι εἰ καὶ τὴν ἐν κήποις Ἀθήνησι τὴν Ἀλκαμένους ἑόρακας." Numquam credam Lucianum induxisse duos Athenienses in confabulatione ad „τοῖς κήποις" addentes „Ἀθήνησι." Evasit Grammaticorum manus locus in Pro Imag. huc respiciens; § 18[a]: „ὑπὲρ δὲ οὗ χρὴ ἀπολογήσασθαι τοῦτό ἐστιν ὅτι τῇ ἐν Κνίδῳ καὶ τῇ ἐν κήποις καὶ Ἥρᾳ καὶ Ἀθηνᾷ τὴν μορφὴν ἀναπλάττων ἥκασα." Nomina autem urbium et locorum quam inepte adscribere soleant docere potest quod legitur in Deor. Dial. XXII, 3, ubi Pan ad patrem Mercurium: „πρῴην δὲ καὶ Ἀθηναίοις συμμαχήσας οὕτως ἠρίστευσα Μαραθῶνι ὥστε καὶ ἀριστεῖον ᾑρέθη μοι." Si enim „Μαραθῶνι" omnino inserendum erat debuerat saltem statim post „συμμαχήσας" poni.

In Imag. § 21[a] additamentum legitur quo nescio an num-

quam sis reperturus ineptius. Laudata Panthea ob animi modestiam ita finem facit Polystratus: *τοιγαροῦν καὶ ἄξιον παρὰ πάντων ἀπολαμβάνει τὸν καρπὸν εὐχομένων ταῦτά τε αὐτῇ παραμεῖναι καὶ ἔτι πλείω ἐπιρρεῖν τἀγαθά.* Non potest aliquis majorem a diis precari felicitatem quam hanc: ut praesentes fortunae dotes remaneant et accedant aliae quoque; neque dubium est quin ita precarentur homines in Pantheae gratiam ut ego verba Graeca citavi. Sed insulsus aliquis lector aliud quid inde fecit. Nempe *ἔναυλα* ei adhuc erant praecedentia, ubi homines praeter modum ferocientes cum Icaro, modesti contra et suae sortis memores cum Daedalo comparantur. Putabat ergo quum legeret: „*ταῦτά τε αὐτῇ παραμεῖναι*", illo „*ταῦτα*" respici Daedali alas; adscripsit ergo „*τὰ πτερά*" quo facto nunc legitur: „*ταῦτά τε αὐτῇ παραμεῖναι τὰ πτερά, καὶ ἔτι πλείω ἐπιρρεῖν τἀγαθά.*" Non esset profecto Pantheae fortuna praedicanda si quaecumque tandem alae perpetuo ei manerent.

In Jov. Conf. § 6a Cynicus ait: „*καί τοι εἴ τις τῶν σοφιστῶν ἐκείνων παρῆν, ἤρετ' ἄν σε καθ' ὅ τι βελτίους φῂς τοὺς θεοὺς καὶ ταῦτα ὑπὸ ταῖς αὐταῖς δεσποίναις ταῖς Μοίραις ταττομένους.*" Si quis praecedentia legerit sentiet quam otiose illud „*ταῖς Μοίραις*" additum sit; nam languidum illa vocabula totum locum reddere primo obtutu satis apparet. Non inutile erit si adsimilem locum apponam. In Dial. Mort. XIX, 1, ubi Protesilaus in Paridem Trojani belli auctorem impetum facere vult, Aeacus eum retinet dicens: „*ἐρωτικὸς γὰρ καὶ αὐτός εἰμι καὶ τῷ αὐτῷ θεῷ κατέσχημαι*"; quibus si quis addere vellet „*τῷ Ἔρωτι*" quisquis credo obstaret.

Multis apud Lucianum locis removenda sunt nomina propria

admodum invenuste a magistris addita. Unum et alterum hic dabo exemplum.

Hermot. § 20a: Momus ἐπὶ τοῦ ἀνθρώπου τοῦτο ἐμέμψατο καὶ τὸν ἀρχιτέκτονα ἐπέπληξε τὸν Ἥφαιστον διότι μὴ καὶ θυρίδας ἐνεποίησεν αὐτῷ. Satis notum est e praecedentibus quis sit ὁ τοῦ ἀνθρώπου ἀρχιτέκτων.

Somn. s. Gall. § 11a: Micylus, a patrono Eucrate invitatus ut in epulis quas ille parabat Thesmopolidis philosophi aegrotantis sedem occuparet, laetus ad horam adest. Sed philosophus, morbo prae epulis neglecto, inopinato advenit. Patronus ergo ne miserum sutorem spe frustret filium suum dimittit ut cum matre cibum capiat. Quae postquam sutor gallo gallinaceo suo narravit haec addit: „εἰςῄειν οὖν αἰσχυνόμενος ὅτι ἐδόκουν ἐξεληλακέναι τοῦ συμποσίου τὸ παιδίον τοῦ Εὐκράτους . . . . .“ Quanto elegantius hoc dictum esset si abesset „τοῦ Εὐκράτους.“ Sed quoniam talia magis sentiri quam argumentis probari possunt, verbum non addam.

Paras. § 42a: „οὐχὶ Δημάδης μὲν καὶ Αἰσχίνης καὶ Φιλοκράτης ὑπὸ δέους εὐθὺς τῇ καταγγελίᾳ τοῦ Φιλίππου πολέμου τὴν πόλιν προὔδοσαν.“ Non est credo Graecum „ὁ Φιλίππου πόλεμος;“ certe ineptissimum est „Φιλίππου“ addere quum de Demade et Aeschine agatur.

Anach. § 18a Anacharsis ad Solonem ita loquitur: „τοῦτ' ἐκεῖνο ἦν ἄρα ὃ ἐγὼ περὶ ὑμῶν ἤκουον τῶν Ἀθηναίων, ὡς εἴητε εἴρωνες ἐν τοῖς λόγοις.“ Quam parum eleganter additum est istud „τῶν Ἀθηναίων“!

Advers. Timarch. § 1a: τὸ δὲ τοῦ Ἀρχιλόχου ἐκεῖνο ἤδη σοι λέγω, ὅτι τέττιγα τοῦ πτεροῦ συνείληφας· εἴπερ τινὰ ποιητὴν ἰάμβων ἀκούεις Ἀρχίλοχον, Πάριον τὸ γένος . . . . . ἐκεῖνος τοίνυν

πρός τινος τῶν τοιούτων ἀκούσας κακῶς τέττιγα ἔφη τὸν ἄνδρα εἰληφέναι τοῦ πτεροῦ, εἰκάζων ἑαυτὸν τῷ τέττιγι ὁ Ἀρχίλοχος, φύσει μὲν λάλῳ ὄντι..... Non credo quemquam ultimum illud „ὁ Ἀρχίλοχος" esse defensurum.

Ibid. § 5ª: ἦν δὲ ὑπόθεσις τῷ συγγράμματι ὁ Πυθαγόρας κωλυόμενος ὑπό τινος Ἀθηναίων, οἶμαι, μετέχειν τῆς Ἐλευσῖνι τελετῆς ὡς βάρβαρος ὅτι ἔλεγεν αὐτὸς ὁ Πυθαγόρας προτοῦ ποτὲ καὶ Εὔφορβος γεγονέναι.

Symp. § 3ª: „Non est urbanum" ait Lycinus „in vulgus diffamare si quid inter pocula peccatum est: oportet talia alto obtegere silentio et νομίζειν ἐκεῖνα πάντα θεοῦ ἔργα τοῦ Διονύσου εἶναι." Vel loco ubi „τοῦ Διονύσου" positum est arguitur sciolus.

Deor. Conc. § 4ª Momus ait: „ὁ γὰρ γενναιότατος οὗτος Διόνυσος ἡμιάνθρωπος ὢν οὐδὲ Ἕλλην μητρόθεν, ἀλλὰ Συροφοίνικός τινος ἐμπόρου τοῦ Κάδμου θυγατριδοῦς....." Delendum est „τοῦ Κάδμου." Momus enim ita loquitur ut qui vel nomen ignoret vel prae contemptu silere sibi destinatum habeat.

Ibid. § 15 in Momi lege: „τούτους δὲ τοὺς ἐπιγνώμονας αὐτοὺς μὲν καθέζεσθαι ὀμόσαντας τὸν νόμιμον ὅρκον τὴν Στύγα." An forte Deos ignorare putabat Momus quis esset ὁ νόμιμος ὅρκος?

Non erit, opinor, multis verbis opus ut demonstrem in Jov. Trag. § 23ª unum vocabulum moleste abundare. Legitur enim: „τὸ μὲν γὰρ ἐπιτιμῆσαι καὶ μέμψασθαι καὶ ἐγκαλέσαι ῥᾴδιον καὶ τοῦ βουλομένου παντός." Dele „παντός." Nam dicitur aut „τοῦ βουλομένου ἐστί", aut „παντός ἐστι", non „τοῦ βουλομένου παντός."

Paras. § 4ª: „ἢ τὸν μὲν ἀργυρογνώμονα τέχνην τινὰ φήσομεν

ἔχειν ᾗπερ ἐπίσταται διαγιγνώσκειν τά τε κίβδηλα τῶν νομισμάτων καὶ τὰ μή, τοῦτον δὲ ἄνευ τέχνης διακρίνειν τούς τε κιβδήλους τῶν ἀνθρώπων καὶ τοὺς ἀγαθούς, καὶ ταῦτα οὐχ ὥσπερ τῶν νομισμάτων καὶ τῶν ἀνθρώπων φανερῶν εὐθὺς ὄντων;" Quicunque haec accuratius legerit videbit molestum et languidum esse illud „καὶ τῶν ἀνθρώπων", praesertim quum proxime praecedat „τῶν ἀνθρώπων" magna cum emphasi enunciatum.

In Rhet. Praec. § 14ª gloriatur Pollux se Rhetoricam esse docturum etiam illum qui nihil unquam didicerit; „non obstabit" inquit „οὐδ' ἦν, τὸ καινότατον, μηδὲ γράφειν τὰ γράμματα εἰδῇς." Delendum est „γράφειν." Notissima est locutio „μηδὲ τὰ γράμματα εἰδέναι," et est ea extrema inscitia; non „μηδὲ γράφειν τὰ γράμματα εἰδέναι." Neque placet verbum οἶδα cum infinitivo conjunctum. Vide Cobet. in Mnemos. N. S. vol V, fasc. 2, p. 221 sq.

Non memini me usquam legere magis puerile additamentum quam quod est in Philops. § 2ª. Rogat amicus: „Nonne ergo stultitia et ignorantia censendae sunt effecisse ut tam magna hominum multitudo vanis mendaciis addicta sit?" Respondet Tychiades: „Minime gentium; multos enim ego prudentes sapientesque homines vidi, οὐκ οἶδ' ὅπως ἑαλωκότας τούτῳ τῷ κακῷ." Non satis perspicuum visum hoc est magistro qui annotavit: „φιλοψευδεῖς ὄντας", qua annotatione in textum recepta nunc legitur: „οὐκ οἶδ' ὅπως ἑαλωκότας τούτῳ τῷ κακῷ καὶ φιλοψευδεῖς ὄντας." Certissimum tamen fraudis indicium est. Nempe verba οὐκ οἶδ' ὅπως recte adduntur iis quae figurate dicta sunt; si res ipsa suo nomine appellatur locum non habent. Etenim quam ridicule dictum esset: „οὐκ οἶδ' ὅπως φιλοψευδεῖς ὄντας"!

Graecum non est quod legitur contra Timarch. § 3[a]: „οὐδὲ δεῖ τινὸς τοῦ ἀποδύσοντος τὴν λεοντῆν"; δεῖ enim ita positum habet tantummodo participium futuri cum articulo; grammatici tamen addunt nonnumquam pronomen indefinitum, quo planior scilicet fiat locutio.

Nullus Luciani liber aptiore et elegantiore sermone scriptus est quam Dialogi meretricii; sed qui semel hoc observavit eo magis offendetur maculis quas scioli affricuerunt. Exemplum est statim in initio.

In Dial. I, § 1[a] Glycera amicam suam rogat: „τὸν στρατιώτην ἐκεῖνον . . . . . οἶσθα αὐτὸν ἢ ἐπιλέλησαι;"

Respondet illa: „οὔκ, ἀλλ' οἶδα ὦ Γλυκέριον καὶ συνέπιε μεθ' ἡμῶν πέρυσιν ἐν τοῖς 'Αλώοις." Non est admodum elegans ubi rogatur: „οἶσθα αὐτὸν ἢ ἐπιλέλησαι;" respondere: „οὔκ, ἀλλ' οἶδα." Ecquis non sentit ejecto „οἶδα" pristinum sermonis nitorem restitui: „οὔκ. ὦ Γλυκέριον, ἀλλὰ καὶ συνέπιε μεθ' ἡμῶν πέρυσιν ἐν τοῖς 'Αλώοις."

In Dial. VI. § 2[a] pro ἡ Δαφνίδος θυγάτηρ Λύρα legendum est ἡ Δαφνίδος Λύρα.

Transeo nunc ad duos libellos longe ab istis prolaliis et declamationibus diversos, Veras Historias, lepidissime et sermone, si non semper puro, at venusto tamen scriptas; et si quid mihi videtur hic illic a viris doctis ad emendandum relictum, id ita sanare conabor ut simul nonnulla addam ex aliis libris Luciani quae aut correctiunculis meis faveant aut simili modo emendanda videantur.

I, § 7[a]: *ὕστερον μέντοι ἐπινοήσαντες τοὺς ἄλλους ἰχθῦς τοὺς ἀπὸ τοῦ ὕδατος παραμιγνύντες ἐκεράννυμεν τὸ σφοδρὸν τῆς οἰνοφαγίας.* Quid ille agat qui *ἰχθῦς ἐπινοεῖ* non facile quisquam, credo, mihi dicturus est; neque, si ex his vocabulis aliquo modo sensus aptus elici posset, bene cohaererent *ἐπινοήσαντες παραμιγνύντες* nulla conjunctione interposita. Miror interpretem, optime vertentem: „dein vero illud commenti sumus ut, aliis piscibus admixtis, temperaremus", non vidisse, ut ita vertere liceat, (et nemo credo dubitabit quin ea sit loci sententia) necessario requiri infinitivum *παραμιγνύναι.*

De syllabis *αι* et *ες* confusis vide Bastii commentationem Palaeographicam p. 764 apud Schaeferum et tabulam IV, 9.

Contra syllaba *ες* in *αι* transiit in Philopseude § 4[a]: Ubi Tychiades et Philocles inter se confabulati sunt de mendaciis quae a poëtis vulgantur vel a civibus sparguntur publice quo majorem ineat gloriam sua patria, Philonides haec addit: „*ἀλλ' οἱ μὲν ποιηταὶ καὶ αἱ πόλεις δὲ συγγνώμης τυγχάνοιεν ἄν, οἱ μὲν τὸ ἐκ τοῦ μύθου τερπνὸν ἐπαγωγότατον ὂν ἐγκαταμιγνύντες τῇ γραφῇ, Ἀθηναῖοι δὲ καὶ Θηβαῖοι καὶ εἴ τινες ἄλλοι σεμνοτέρας ἀποφαίνονται τὰς πατρίδας ἐκ τῶν τοιούτων.*" Pro „*ἀποφαίνονται*" recte codex Marcianus 434 exhibet „*ἀποφαίνοντες*"; nam neque ubi praecedit *οἱ μὲν* . . . . . *ἐγκαταμιγνύντες* sequi potest *οἱ δὲ* . . . . . *ἀποφαίνονται*, verum *οἱ δὲ* . . . . . *ἀποφαίνοντες*; neque medium „*ἀποφαίνεσθαι*" id significat quod hoc loco requiritur, nempe: „patriam suam talibus mendaciis augustiorem reddunt;" hoc est „*ἀποφαίνειν*". Cf. Somn. § 8[a]: *περίβλεπτον δ' ἀποφανεῖς τὴν πατρίδα*; Peregr. § 23[a]: *πῶς οὖν ὁ Πρωτεὺς τοῦτο διακρινεῖ καὶ τοὺς μὲν χρηστοὺς ὠφελήσει, τοὺς δὲ πονηροὺς οὐ φιλοκινδυνοτέρους καὶ τολμηροτέρους ἀποφανεῖ.*

V. H. I, § 16[a]: enumeratis copiis Solis haec addit: *ἐλέγοντο δὲ κἀκείνῳ ὑστερίζειν τῶν συμμάχων οὕς τε ἀπὸ τοῦ Γαλαξίου μετεπέμπετο σφενδονήτας καὶ οἱ Νεφελοκένταυροι.* Milites quos rex adhuc arcessebat nondum dici possunt *ὑστερίζειν*. Immo arcessiverat illos: *μετεπέπεμπτο*. Perpetuo talia plusquamperfecta scribae mutant in imperfecta. Exempla vide in Cobeti Novis Lectionibus.

I § 20[a]: convenit inter Solem et Endymionem *τὴν ἀποικίαν τὴν ἐς τὸν Ἑωσφόρον κοινὴν ποιεῖσθαι καὶ μετέχειν τῶν ἄλλων τὸν βουλόμενον.* Ergo coloniam illam *οἱ Σεληνῖται* et *οἱ Ἡλιῶται* communem missuri sunt; neque tamen aliorum siderum incolae prohibentur, sed eorum quoque *ὁ βουλόμενος τῆς ἀποικίας μετέχει.* Quis non videt his ita expositis ante *τῶν ἄλλων* iterum conjunctione *καί* opus esse?

I, § 25[a] agitur de illis hominibus qui oculos exemtiles (*περιαιρετούς*) habent; eorum nonnulli quibus accidit ut oculos suos amitterent alios ab amicis mutuos sumere debent. Verum „*εἰσὶ δ' οἳ καὶ πολλοὺς ἀποθέτους ἔχουσιν οἱ πλούσιοι.*" Quibus illo: „*οἱ πλούσιοι*" opus est, profecto indigni censendi sunt qui legant Lucianum. Sed certum est Lucianum ea vocabula non addidisse: nullo enim modo recte loci structurae adaptari possunt; nam neque si praecedit „*εἰσὶν οἵ*" sequi potest substantivum quo significetur qui illi „*οἵ*" sint; neque sinit conjunctio *καί* locum ita capere: „divites apud illos sunt qui multos oculos in arca depositos habent," (atque ea tamen interpretatio circumfertur), neque credo si haec esset sententia verbum „*εἰσί*" ita in fronte positum fuisset.

Addam hic duos locos affinibus malis laborantes.

Alter est in Toxaride § 48[a], ubi Scytha haec narrat: „si quis injuriam ab alio acceptam ulcisci velit, sed suas vires huic rei idoneas non esse perspiciat, bovem mactat: ejus carnes coquit, in pellem vero humi stratam ipse considit manibus pone tergum rejectis. Accedunt deinde cognati et amici qui, carnium parte sumpta, dextro pede in pellem inscendunt; tum unusquisque pro viribus pollicetur, *ὁ μὲν πέντε ἱππέας παρέξειν ἀσίτους καὶ ἀμίσθους, ὁ δὲ δέκα, ὁ δὲ πλείους, ὁ δὲ ὁπλίτας ἢ πεζοὺς ὁπόσους ἂν δύνηται, ὁ δὲ μόνον ἑαυτὸν ὁ πενέστατος.*" Cui illud „*ὁ πενέστατος*" molestum non est, profecto parum ille sentit quam eleganter Lucianus scribere soleat.

Alter est in Jove Tragoedo § 47[a]. Comparaverat Timocles Stoicus mundum cum navi, Deum cum gubernatore. Respondet Damis Epicureus: „Verum gubernator ille tuus in sua navi omnia perverse disposuit, ita ut multi ejus nautae quum ignavi et inutiles sint summis honoribus digni habeantur, probi contra et industrii despiciantur et contumeliose tractentur ab iis qui revera sunt inferiores. Si vero bonus gubernator rebus praeësset, unusquisque proprio suo officio fungeretur, cuique ille locum designaret pro meritis, *χώραν τε τὴν ἀμείνω τοῖς ἀμείνοσι, τὴν κάτω δὲ τοῖς χείροσι καὶ συσσίτους ἔστιν οὓς καὶ συμβούλους ἐποιήσατ' ἄν.*" Quid esset eleganter et accurate scribere ignotum illi erat qui primus vocabulum *ἀμείνους* inter „*συσσίτους*" et „*συμβούλους*" inseruit. Nam neque „*ἔστιν οὓς*" ita sibi junctum habere possunt adjectivum *ἀμείνους*: debebat saltem „*τῶν ἀμεινόνων*"; neque addito „*ἀμείνους*" dictum erit quod scriptor volebat; nam non *οἱ ἀμείνους* praetoris epulis adhibentur et in ejus consilio sedem habent, sed unus et

alter de praestantissimis. Ergo si quid omnino addendum esset ferri posset e. gr. „τῶν κρατίστων,“ neque id eo loco ubi nunc „ἀμείνους“ legitur.

I, § 33ª: Scantharum eodem monstro marino inclusum advenae rogant: „ἀλλὰ φράσον γ' ἡμῖν τὴν σαυτοῦ τύχην ὅστις τε ὢν καὶ ὅπως δεῦρο εἰσελήλυθας.“ Graecum esset „ὅστις τε εἶ καὶ ὅπως δεῦρο εἰσελήλυθας,“ non quod nunc legitur. Verum dele καί et habebis antiquam formulam non dissimilem Homerico „τίς πόθεν εἷς ἀνδρῶν;“ nempe: „ὅστις τε ὢν ὅπως δεῦρο εἰσελήλυθας.“ Lucianum a tali duplici interrogatione non abhorrere docet locus in Somn. § 12ª: „ὁρᾷς τὸν Δημοσθένην ἐκεῖνον τίνος υἱὸν ὄντα ἐγὼ ἡλίκον ἐποίησα;“ Conjunctionem καί inseruit Grammaticus ob praecedens τε.

II, § 17ª: „In beatorum convivio“ ait „Πλάτων μόνος οὐ παρῆν ἀλλ' ἐλέγετο καὶ αὐτὸς ἐν τῇ ἀναπλασθείσῃ ὑπ' αὐτοῦ πόλει οἰκεῖν, χρώμενος τῇ πολιτείᾳ καὶ τοῖς νόμοις οἷς συνέγραψε.“

Si quis est qui nesciat quo sensu Graece dicatur „καὶ αὐτός,“ potest hoc e Luciano optime discere; videbit simul ab hoc loco prorsus alienum esse. Significat enim „et ille quoque“ (etiam Latine dicitur „et ipse“) ita ut praecedat vel sequatur vel cogitetur aliud subjectum de quo idem dici possit; e. gr. in Icaromenippo § 27ª: „Ὅμηρος ..... καὶ αὐτὸς καθάπερ ἐγὼ τἀκεῖ τεθεαμένος,“ et in Alexandro § 27a: „ὁ γοῦν Σευηριανῷ δοθεὶς χρησμὸς τῶν αὐτοφάνων καὶ αὐτὸς (sc. ut multa alia oracula) ἦν“; et lepidissime in Peregrino § 43ª: „ἐκεῖνα μὲν γὰρ πάλαι οἶσθα εὐθὺς ἀκούσας μου ὅτε ἧκον ἀπὸ Συρίας διηγουμένου ὡς ἀπὸ Τρῳάδος συμπλεύσαιμι αὐτῷ καὶ τὴν ἄλλην τὴν ἐν τῷ πλῷ τρυφὴν καὶ τὸ μειράκιον τὸ ὡραῖον ὃ ἔπεισε κυνίζειν ὡς ἔχοι καὶ αὐτός τινα Ἀλκιβιάδην“, nempe ὥσπερ ὁ Σωκράτης.

In ipsis Veris Historiis egregia quaedam exempla reperiuntur. I § 34a: *ὁ δὲ* (Scantharus) *ὑπερθαυμάσας καὶ αὐτὸς ἐν μέρει τὸ καθ' αὑτὸν διεξῄει*; sc. quemadmodum nos antea nostros casus ei narraveramus. Et in neutro genere § 20a: *ὅτι μὲν γὰρ οὐδὲ τυφλὸς ἦν, ὃ καὶ αὐτὸ περὶ αὐτοῦ λέγουσιν, αὐτίκα ἠπιστάμην.*

Quis ergo praeter Platonem in illa Nephelococcygia vitam degebat? Nemo, credo; et hic ipse est Luciani jocus: Plato ibi vivit s o l u s. Quapropter legendum est: *ἀλλ' α ὐ τ ὸ ς ἐν τῇ ἀναπλασθείσῃ ὑπ' αὐτοῦ πόλει οἰκεῖν.*

Eo sensu ab omnibus Graecis scriptoribus vocabulum *αὐτός* usurpatur; saepissime tamen a grammaticis *μόνος* vel substituitur vel adscribitur. Substitutum esse *μόνος* credo in Jove Tragoedo § 21a, ubi Momus: „*καί μοι ἐνταῦθα ὦ Ζεῦ — μόνοι γάρ ἐσμεν καὶ οὐδεὶς ἄνθρωπος πάρεστι — ἀπόκριναι*; quod multo lepidius dictum esset si pro „*μόνοι*" legeretur „*αὐτοί.*" Quemadmodum enim apud Aristophanem est in Acharn. vs. 504:

„*αὐτοὶ γάρ ἐσμεν οὑπὶ Ληναίῳ τ' ἀγών,*"

ita et Luciano in talibus placet *αὐτοί.* Vide modo Deor. Dial. X, 2, ubi Sol ad Mercurium, Jovis mandatis jubentem per tres dies lumen suum obtegere: „*ἀλλὰ τελεσιουργείτω μὲν ἀγαθῇ τύχῃ. ταῦτα δ' οὖν, ὦ Ἑρμῆ, οὐκ ἐγίγνετο ἐπὶ τοῦ Κρόνου — αὐτοὶ γάρ ἐσμεν — οὐδ' ἀπόκοιτός ποτε ἐκεῖνος παρὰ τῆς Ῥέας ἦν κ. τ. λ.*"

Sed nostro quoque Verarum Historiarum loco praeter illud „*καί*" additum Grammaticorum annotandi studium jam antea aliud vitium peperisse videtur. Legitur enim: „*Πλάτων δὲ μόνος οὐ παρῆν.*" At si accuratius sequentia legeris apparebit hoc verum non esse. Absunt nempe omnes Stoici,* qui arduum

adhuc virtutis montem adscendunt. Absunt Academici; ἐπέχουσιν enim et deliberant. Et omnino pauci tantum philosophi beatorum in convivio adfuisse narrantur. Ergo si ita res se habet, admodum absurde dictum esset: „Πλάτων μόνος οὐ παρῆν." Quoniam autem Verae Historiae omnibus fere ceteris Luciani scriptis et venustate et sermonis elegantia praestant, non facile mihi persuadebitur ipsum commisisse talem errorem. Multo magis inclino in hancce sententiam: in margine grammaticus aliquis adscripsit: „μόνος," quo explicaretur vocabulum „αὐτός"; illud „μόνος" autem in alienam sedem invectum ultro corrupit totum locum sic restituendum: „Πλάτων δ' οὐ παρῆν, ἀλλ' ἐλέγετο αὐτὸς ἐν τῇ ἀναπλασθείσῃ ὑπ' αὐτοῦ πόλει οἰκεῖν."

Fortasse § 18[a] non injuria codex Marcianus 434 omittit vocabula „τὴν ἑταίραν" post nomen Λαΐδα.

§ 20[a]: „Quoniam" ait „saepius una eram cum Homero, solebam eum interrogare de omnibus rebus; ita et περὶ τῶν ἀθετουμένων στίχων ἐπηρώτων, εἰ ὑπ' ἐκείνου εἰσὶν ἐγγεγραμμένοι." Nisi omnia me fallunt haec inter se certant; nam si jure et merito illi versus ἀθετοῦνται, ab aliis sunt ἐγγεγραμμένοι; contra si ab ipso Homero facti sunt, non ἐγγεγραμμένοι sed γεγραμμένοι εἰσί. Quapropter legendum videtur „γεγραμμένοι."

Ead.: κατεγίγνωσκον οὖν τῶν ἀμφὶ τὸν Ζηνόδοτον καὶ Ἀρίσταρχον γραμματικῶν πολλὴν τὴν ψυχρολογίαν. Sine dubio vocabulum γραμματικῶν ejiciendum est. An scripsit Lucianus illis qui nescirent Zenodotum et Aristarchum fuisse grammaticos! Nam „οἱ ἀμφὶ Ζηνόδοτον" nihil amplius significat quam ipsum Zenodotum.

Aliquanto absurdius est quod legitur § 28[a]: τῇ δ' ἐπιούσῃ προσελθὼν πρὸς Ὅμηρον τὸν ποιητὴν ἐδεήθην αὐτοῦ ποιῆσαί

μοι δίστιχον ἐπίγραμμα; ubi tamen non *τὸν ποιητήν* ejiciendum est sed *Ὅμηρον*. Quis enim ignorat *τὸν ποιητήν* apud omnes Graecos scriptores semper esse Homerum?

§ 32[a]: Adveniunt in insulam somniorum; ibi *εἰσπλεύσαντες ἐς τὸν Ὕπνον λιμένα προςαγορευόμενον κ. τ. λ.*.

Quoniam *Ὕπνος* rex est illius insulae, (cf. § sq.: *τὰ τοῦ Ὕπνου βασίλεια*; *ταύτης παρὰ τοῦ Ὕπνου λαχὼν τῆς τιμῆς.*) portus non potest appellari *Ὕπνος*. Lege: *ἐς τὸν Ὕπνου λιμένα*, quocum conferri potest § sq. *τὸ τῆς Βλακείας πεδίον*. Annotat Lehmannus: „*Ὕπνου*. Vorst.; non male.” „Unice verum” ego annotaverim.

§ 41[a]: *καὶ τὸ πάντων δὴ παραδοξότατον, ὁ γὰρ ἱστὸς τῆς νεὼς ἐβλάστησε.* Quamquam innumeri fere loci sunt ubi Lucianus adhibuit locutionem qualis est *τὸ πάντων παραδοξότατον*, et *τὸ πάντων ἀτοπώτατον* simm., nusquam tamen additam vidi conjunctionem *γάρ*. Moris enim Lucianei est in ea re aut nullam addere conjunctionem aut sequentibus praeponere *ὅτι*. Ergo et hic censeo *γάρ* eliminandum esse.

§ 44[a]: *ἔλαφοι τέτταρες τρεῖς ἑκάστη πόδας ἔχουσα.* Legendum est „*ἔχουσαι*.” Vide quae dixi p. 29 sq. et cf. § 47[a]: *ἡμεῖς δὲ μόλις ἐξενηξάμεθα τὰ ὅπλα ἕκαστος καὶ εἴ τι ἄλλο οἷός τε ἦν ἀρπασάμενοι.*

Hac jam libelli mei parte ad finem perducta aliud nunc sequar scribendi consilium. Quum enim in praecedentibus id spectaverim, ut quantum ejus fieri posset serie quadam cohaererent animadversiones meae, operamque dederim ne indigesta conjecturarum moles taedium lectori moveret, illos deinceps tractavi Luciani libellos in quibus mihi ad corrigendum major suppeditabat vitiorum copia; ex aliis libris illorum locorum adjunxi emendationes qui affinibus laborarent morbis; interdum si ita res ferret digressus species quasdam errorum, quos vel librarii prae inscitia commiserunt, vel grammatici annotandi studio ducti invexerunt, sub unum dedi conspectum.

Nunc tamen, quoniam in reliquis Luciani libris plerumque singulos tantum vel binos locos ita mihi videor emendasse, ut cum lectoribus meas qualescumque correctiones communicare audeam, alia erit insistenda via: sequar editionis ordinem, et sicubi mihi repperisse videor quod memoratu sit dignum, id quam potero firmissimis argumentis adstructum proponam; hac tamen lege servata ut quae in diversis libris simili modo vel a librariis vel a grammaticis peccata videantur conjungam. Quod ut mihi ad scribendum est jucundius, ita lectoribus (si tamen erunt qui me legant) minus molestum fore arbitror quam si, quae ejusdem generis sunt, ubi opus non est divellam.

Ceterum unumquemque probaturum esse confido si omnino

neglegam illos libros, qui Luciani nomen prae se ferentes, tamen et communi doctorum sententia ab impostore scripti esse censentur et revera scripti sunt. Nam quid attinet utrum uno et altero loco emendatiores an corruptiores circumferantur libri quales sunt Philopatris, Demosthenis encomium, Charidemus? Sufficit talia semel legisse vel inter legendum abjecisse e manibus.

Somnium s. Vita § 2ª: „Pater meus" scriptor narrat „puerum me patruo commendavit ut me artem sellulariam doceret; nempe huic arti me a natura apta indole praeditum esse opinabatur; quod ille conjiciebat ταῖς ἐκ τοῦ κηροῦ παιδιαῖς· ὁπότε γὰρ ἀφεθείην ὑπὸ τῶν διδασκάλων ἀποξέων ἂν τὸν κηρὸν ἢ βοῦς ἢ ἵππους ἢ καὶ νὴ Δί' ἀνθρώπους ἀνέπλαττον, εἰκότως ὡς ἐδόκουν τῷ πατρί." Non injuria viri docti haerent in εἰκότως. Annotat Bourd.: „ad veram imaginem, πρὸς τὴν εἰκόνα. Non enim εἰκότως ibi vulgariam recipit interpretationem, cum nullus sensus elici possit"; unde ego nullum sensum elicere possum. Contra Lehmannus: „εἰκότως . . . . . est propria vi sua probabiliter, verosimiliter, ergo h. l. naturae convenienter." Lubrica est haec explicandi ratio ut, ubi opus est, eam significationem aliquod vocabulum habere affirmes, quam nusquam alibi habet neque habere potest. Non enim ita vocabulum εἰκότως *verbo* additur ut *modum* indicet quo quid agatur; sed *toti sententiae* ut *rationem reddat*, quare plerumque sequentia particula γάρ annectuntur. Nulla autem causa erat cur puer Lucianus equorum hominumque figuras e cera fingeret, neque ergo consentaneum vel necesse erat eum id facere.

Mirari interdum subit illum, qui tantum temporis huic loco impenderit ut annotationem adscriberet, fugere potuisse veram lectionem. Non enim puer εἰκότως ἀνέπλαττε sed ἀνέπλαττεν ἵππους καὶ ἀνθρώπους ε ἰ κ ό τ α ς; hoc enim est quod Lehmannus volebat sed quod e lectione vulgari elici non potest „naturae convenientes."

Deinde, lectione εἰκότας recepta, melius erit si ἐδόκουν accipias pro 3a pers. plur.: etenim τῷ πατρὶ οἱ πεπλασμένοι ἵπποι ἐδόκουν εἰκέναι.

Somnio suo popularibus narrato ita pergit § 17a: μεταξὺ δὲ λέγοντος „Ἡράκλεις" ἔφη τις „ὡς μακρὸν τὸ ἐνύπνιον καὶ δικανικόν." εἶτ' ἄλλος ὑπέκρουσε „χειμερινὸς ὄνειρος ὅ τ ε μ ή κ ι σ τ α ί ε ἰ σ ι ν α ἱ ν ύ κ τ ε ς." Aut ille homo qui haec dixisse fingitur ipsa hieme frigidior erat aut joco suo non addidit ipse interpretationem ceteroquin satis absurdam ὅτε μήκισταί εἰσιν αἱ νύκτες.

In libello cui titulus πρὸς τὸν εἰπόντα Προμηθεὺς εἶ ἐν λόγοις (quod vertere solent „Prometheus es in verbis"; debebat verti „Prometheus es in literis.") § 6a: ἡ δὲ (ἡ κωμῳδία) παραδοῦσα τῷ Διονύσῳ ἑαυτὴν θεάτρῳ ὡμίλει καὶ ἐν ῥυθμῷ ἔβαινε πρὸς αὐλὸν ἐνίοτε καὶ τὸ ὅλον ἀναπαίστοις μέτροις ἐποχουμένη. Lucianus haec quum scriberet non erat immemor Aristophanis, quem eum ut digitos suos novisse quovis dialogo apparet. Ergo fieri non potest ut dixerit ἀναπαίστοις μέτροις, quum sit apud Aristophanem

Ach. 627: ἀλλ' ἀποδύντες τοῖς ἀναπαίστοις ἐπίωμεν.

Eq. 404: ὑμεῖς δ' ἡμῖν πρόσσχετε τὸν νοῦν χαίροντες τοῖς ἀναπαίστοις.

Pac. 735: πρὸς τὸ θέατρον παραβὰς ἐν τοῖς ἀναπαίστοις.

Av. 684: — ἄρχου τῶν ἀναπαίστων.

quos versus nostro haec scribenti prae ceteris ante oculos versatos esse jure et merito suspicari possis. Deinde et hoc accedit quod *ἀνάπαιστα μέτρα* omnino Graece dici non potest; *τὸ ἀναπαιστικὸν μέτρον* totum genus appellare licet ut *μέτρον τροχαϊκόν*; sed *μέτρα ἀνάπαιστα* pro versibus hujus generis non minus absurdum est quam *μέτρα ἴαμβα, τροχαῖα.*

Nigrin. § 1[a]: *σὺ θαυμαστὸν εἶναί σοι δοκεῖ πρὸς Διὸς ἀντὶ μὲν δούλου με ἐλεύθερον, ἀντὶ δὲ πένητος ὡς ἀληθῶς πλούσιον, ἀντὶ δὲ ἀνοήτου καὶ τετυφωμένου γενέσθαι μετριώτατον.* Ita Madvig. certa correctione restituit pro *μετριώτερον*; cum qua emendatione conferri potest quod supra annotavi ad Tyrannicidam p. 12[a]. Sed unum hoc loco restat; nempe pro *γενέσθαι* omnino legendum est *γεγενῆσθαι.* Cf. modo quae proxime praecedunt *ἥκω σοι εὐδαίμων καὶ μακάριος γεγενημένος.*

§ 12[a]: Nigrinus Atheniensium urbanitatem laudans hoc exemplum narrat: nobilis aliquis et opulentus homo aliquando Athenas venerat comitante magna servorum frequentia; quod quamquam Atheniensibus admodum videbatur absurdum, tamen nemo acerbe et aperte hominem reprehendere sustinebat. Quum vero comitatum suum secum ducere coepisset in gymnasia quoque et in balnea, et ita aliis hominibus molestus esset, *ἡσυχῆ τις ἂν ὑπεφθέγγετο προσποιούμενος λανθάνειν ὥσπερ οὐ πρὸς αὐτὸν ἐκεῖνον ἀποτείνων: „δέδοικε μὴ παραπόληται μεταξὺ λούμενος."*

Mirabitur fortasse quispiam fieri posse ut quisquam in his haereat. Mihi tamen quo saepius hunc locum relego eo magis persuadetur Lucianum ita non scripsisse. „*Δέδοικε μὴ παραπόληται*" Athenienses sibi inter se dicebant. Potest aliquis *ἡσυχῆ* haec dicere, concedo; potest etiam ita dicere quasi

peregrinus ille non exaudiret (προςποιούμενος λανθάνειν); sed quomodo verba illa dicta sint quasi vanus iste homo eis non peteretur (ὥςπερ οὐ πρὸς αὐτὸν ἐκεῖνον ἀποτείνων) non capio. Illa enim vis verbis ipsis inesse debet: verum qui dicit „δέδοικε κ. τ. λ.", sive clara sive submissa voce, tamen certam aliquam personam tantum non digito monstrat. Una tamen vocula restituta, quae saepius in multis codicibus excidit, venustissimam habebis dicendi formulam, qua Athenienses utuntur si quid ita enunciare velint, ut quis eo dicto petatur quum certum sit, tamen non sit apertissimum. Nempe legendum est: „δέδοικέ τις." Lepidissimum hujus usus exemplum habemus in Aristophanis Ranis ubi Xanthias magnum infortunium domino suo praesagiens (vs. 552): „κακὸν ἥκει τινί", et statim post: „δώσει τις δίκην." Contra Bacchus, Aeaco jubente Xanthiam, Bacchi vel potius Herculis vestimentis indutum, in vincula conjicere (vs. 606): „ἥκει τῳ κακόν"; mox iterum Xanthias ubi Bacchus dolore victus ejulavit: „ἤλγησέ τις." Ad hos locos scholiasta annotat: „ἠρέμα" et „ἡσυχῇ λέγει"; quodsi adscripsisset: „ὥςπερ οὐ πρὸς αὐτὸν τὸν Διόνυσον ἀποτείνων", melius quid Aristophanes voluerit explicuisset. Et omnino omnes homines quovis sermone ita in tali re loquuntur, neque quemquam oblocuturum esse arbitror si nostro quoque loco ita scribendum esse ego pro certo statuam.

§ 22ª clientes dicuntur: „πρὸς τῶν οἰκετῶν ἀποκλειόμενοι κύνες καὶ κόλακες καὶ τὰ τοιαῦτα ἀκούειν ὑπομένοντες." Revera isti homines non sunt sinceri amici sed nomine adulatorum digni. Verum illos „κόλακας" appellare magis convenit philosopho, res humanas libero judicio consideranti, quam protervo et petulanti servo. Neque mihi videtur illud vocabulum apte

cum „κύνες" conjungi. Legendum arbitror „κόρακες." Hoc enim convicio in istos homines utuntur qui sunt irati et animo concitato. Cf. Timon. § 43a: τὰ ἄλλα κοράκων οὐδὲν διαφέροντας, et § 8a: ὃς οὐ συνίει κόραξι καὶ λύκοις χαριζόμενος.

§ 23a: ὅταν γὰρ αὐτῶν τὴν περιουσίαν θαυμάσωσι, καὶ τὸν χρυσὸν ἐπαινέσωσι, καὶ τοὺς πυλῶνας ἕωθεν ἐμπλήσωσι, καὶ προελθόντες ὥσπερ δεσπότας προσείπωσι, τί καὶ φρονήσειν (an φρονῆσαι?) αὐτοὺς εἰκός ἐστιν; Pro προελθόντες Bekkerus et Fritschius προελθόντας. Quamquam paene nefas arbitror dubitare quin recte illi summi viri viderint, tamen quia alios aliud quid velle video, quaedam adscribere lubet. Summo mane ad patronum suum salutatum conveniunt clientes pauperesque; nam quoniam id agendum est ut ad epulas invitentur pro se quisque certat ut proximum januae locum occupet; multi itaque jam ante diluculum adsunt. Patronus tamen vir superbus opibusque elatus prae fastu contemptuque diutius etiam quam opus est in cubiculo suo remanet, quum isti homines miseri sub Jove frigido expectent et contumeliose a petulantibus servis habeantur. Tandem aliquando Rex (sic enim ex abjecta adulatione patronos et divites appellant) prodit magnifico ornatu; singulos ne aspicit quidem; namque hac in re pecuniosi illi homines, quorum magna pars originem a libertino deducebat, quin etiam multi eorum ipsi antea servierant servitutem, hac in re inquam sibi placebant ut miseros suos et esurientes clientes magna opum suarum ostentatione et superbo vultu habituque consternarent et obstupefacerent. Prae ceteris autem stultitiis humanis Luciano ridicula videtur ista τοῦ δεσπότου πρόοδος; saepius ergo pauperes inducit Patronum suum tantum non adorantes, ipsumque Regem tanto cum splendore

prodeuntem ridet quod quasi sol clientibus suis oriatur. Cf. imprimis Necyom. § 12[a]: ὁ δὲ μόγις ἄν ποτε ἀνατείλας, et Navig. § 22[a]: ἐγὼ δ' ὁπόταν δόξῃ προκύψας ὥςπερ ὁ ἥλιος. (Contra homo tenuis ei est εὐτελὴς τὴν πρόσοδον. Somn. 9.)

Deinde, quod rectissime Fritschius monet, praecedens τοὺς πυλῶνας ἐμπλήσωσι vetat de ulla alia re cogitare quam de ista προόδῳ.

In Timone primum duo admodum absurda emblemata indicabo. § 10[a] Jupiter Mercurio narrat se nuper fulmen jecisse in Anaxagoram ὃς ἔπειθε τοὺς ὁμιλητὰς μήδ' ὅλως ἡμᾶς εἶναι τοὺς θεούς. § 28[a], ubi Mercurius Plutum rogavit qui fiat ut tam multi specie decepti divitias pro summo bono habeant, ille respondet: „Quum primum aliquis fores mihi aperuit meque domo sua recepit simul se insinuant stupor, dementia, jactantia, mollities, fastus, impostura et multa alia. His omnibus ille captus admiratur ea quae sunt admiratione indigna, sequitur quae sunt fugienda, κἀμὲ τὸν πάντων ἐκείνων πατέρα τῶν εἰςεληλυθότων κακῶν τέθηπε." Talia semel monstrasse sufficit:

§ 13[a]: querenti Pluto quod sibi revertendum sit ad illum Timonem qui ipsum antea domo sua ejecerit et exturbaverit ita Jupiter respondet: „alias tu de contrario queri soles, nempe quod te divites domi servent inclusum repagulis et clavibus signisque, namque ὑπέρδεινον ἐδόκει σοι ἐν χαλκῷ ἢ σιδηρῷ τῷ θαλάμῳ καθάπερ τὴν Δανάην παρθενεύεσθαι." Quia arca in qua pecunia includitur non revera θάλαμος est, sed hoc loco tantum cum Danaes turri ahenea comparatur, melius sane esset si pro τῷ legeretur τῳ, i. e.: in aereo quasi thalamo.

Magis mihi persuasum est hanc medelam esse adhibendam loco in Charone, ubi Mercurius ad Charonem metuentem adscendere montem monti impositum (§ 5[a]): „ἔχου μου τῆς δεξιᾶς καὶ Φείδου μὴ κατὰ τοῦ ὀλισθηροῦ πατεῖν," l. κατά του ὀλισθηροῦ. Non enim altera pars montium lubrica erat, altera firmum praebebat gradum; quodsi jam ita se res haberet, Mercurio cavendum esset ne comitem suum lubrica ista via duceret. Nunc vero hoc dicit: „cave ne in saxum aliquod lubricum vel lutum ingrediaris."

Prometh. s. Caucas. § 16[a]: Prometheus se defendens adversus crimen quod fingendis hominibus negotia et molestias diis immortalibus creaverit, hoc quoque utitur argumento: „occupatio ista et curae deorum de quibus tu quereris etiam jucunditatem quandam habent, ἢ τί γὰρ ἂν ἐπράττομεν οὐκ ἔχοντες ἂν προνοοῦμεν τούτων;" Emendatiorem lectionem illi codices praebent e quibus τούτων abest; deinde indicativus προνοοῦμεν mutandus est in optativum προνοοῖμεν. Conferri potest quod proxime praecedit § 15[a]: οὐδὲ γὰρ ἂν εἴχομεν πρὸς ὅ, τι ἔλαττον παραθεωροῖμεν αὐτόν (τὸν ἡμέτερον πλοῦτον).

Omnino illa verborum structura a grammaticis supplendo corrumpi solet. Ita legitur in libro De mercede conductis, § 4[a]: „Si qui semel isti vitae se dederunt ut mercedis causa apud divites quaslibet contumelias sustineant, postea ne incusari quidem jure possunt quod a patronis suis non discedant; etenim vitae isti jam sunt assueti neque indigni talibus contumeliis, ἄλλως τε οὐδὲ σχοῖεν ἄν τι ἄλλο πρὸς ὅ, τι χρὴ ἀποκλίναντας παρέχειν αὐτοὺς ἐνεργούς." Haeccine pro Lucianeis venditari! τὶ ἄλλο πρὸς ὅ, τι; et quid sibi vult istud χρή? Veram lectionem monstrare videtur codex A qui pro παρέχειν

habet *παρέχοιν*. Cujus lectionis auxilio admodum confidenter ita locum refingo: „*ἄλλως τε οὐδὲ σχοῖεν ἂν πρὸς ὅ, τι ἄλλο ἀποκλίναντες παρέχοιεν αὑτοὺς ἐνεργούς.*" Si quid in tali re opus est alius loci comparatione, hunc locum adscribo: Imagin. § 15a: *ὡς οὐκ ἔστιν ὅ, τι ἂν ἄλλο ποιήσας μᾶλλον χαρίσαιό μοι.*

§ 20a: Ubi Prometheus causam suam peroravit addiditque fore ut Mercurii frater aliquando percussa aquila ipsum liberet, Mercurius respondet: *εἰ γὰρ γένοιτο ὦ Προμηθεῦ ταῦτα καὶ ἐπίδοιμί σε λελυμένον ἐν ἡμῖν εὐωχούμενον, οὐ μέντοι κρεανομοῦντά γε.* Si bene didici quid inter *μή* et *οὐ* intersit, legendum est *μὴ μέντοι*; nempe: *μὴ μέντοι ἐπίδοιμί σε κρεανομοῦντα.*

In Deorum Dial. VI, 5 nondum inspectis Madvigii Adversariis jam in mentem mihi venerat legendum esse: *ἀλλ' οἷοι πάντες ἄνθρωποι ἀπειρόκαλοί εἰσιν αὐχήσει κ. τ. λ.* Nunc tanti viri consensu fretus alium locum indicabo non admodum dissimili medela indigentem. Est in Pro Imag. § 15a: *οὐ γὰρ μίαν (εἰκόνα) ὥςπερ σὺ ἐκ πολλῶν συνθεὶς ἐπιδεῖξαι διέγνωκα, ἀλλ' αἱ πᾶσαι τῆς ψυχῆς ἀρεταὶ καθ' ἑκάστην εἰκὼν μία γεγράψεται.* Male haec cohaerere nemo negabit. Verum lege: *ἀλλ' ὅσαι αἱ π.*

Ib. XV, 1: *τὸ δὲ καὶ χωλὸν αὐτὸν ὄντα καὶ χαλκέα τὴν τέχνην τὰς καλλίστας γεγαμηκέναι.* Genuinam lectionem codex Marcianus 434 praebet: *τὸ δὲ καὶ χωλὸν αὐτὸν ὄντα καὶ τέχνην ἔχοντα βάναυσον.* Etenim quam inepte in lectione vulgari *αὐτός* ponitur. Nunc optime se omnia habent: quum ipse claudus sit et vilem artem exerceat. Satis e talibus exemplis apparet quam pessime textus Lucianeus in codicibus habitus sit.

Statim in sequentibus idem codex Marcianus Luciani manuum servavit. Respondet Apollo: „εὐποτμία τις ὦ Ἑρμῆ πλὴν ἐκεῖνό γε θαυμάζω τὸ ἀνέχεσθαι συνούσας αὐτῷ. Haec corrupta esse mihi quidem satis perspicuum est e γε ineptissime addito. Neque admodum eleganter variatur subjectum: χωλὸν αὐτὸν ὄντα . . . . . τὸ ἀνέχεσθαι συνούσας. Quid autem in codice 434 legitur? πλὴν ἐκείνων ἐγὼ θαυμάζω τὸ ἀνέχεσθαι συνούσας αὐτάς, quae egregie praecedentibus opponuntur: quod tu miraris Vulcanum, foedissimum immortalium, pulcherrimas deas duxisse uxores, id benignitati fortunae adscribendum est; sed quod mihi magis mirandum videtur hoc est quod deae illae sustinent etc.

XX, 7 advenientem cum deabus Mercurium ita Paris interrogat: „τίς δ' ὢν δεῦρο ἀφῖξαι πρὸς ἡμᾶς, ἢ τίνας ταύτας ἄγεις τὰς γυναῖκας; οὐ γὰρ ἐπιτήδειαι ὀρεοπολεῖν οὕτω γε οὖσαι καλαί." Hic quoque haereo in particula γε. Quasi formam corporis ubi opus esset mutare liceret! Neque omnino pulchritudo obstat quominus quis per montes pecudes pascat. Legendum esse arbitror οὕτω γ' ἔχουσαι i. e. ita quidem vestitae. Nunc γε jure suo locum suum obtinet, et dictum evadit admodum rustici personae conveniens.

XXII, 1 Pan ad Mercurium: „ὁπόσ' ἂν ἀποσκώψῃς εἰς ἐμὲ τὸν σαυτοῦ υἱὸν ὦ πάτερ ἐπονείδιστον ἀποφαίνεις. Requiritur futurum ἀποφανεῖς. Cf. Saturn. § 10[a]: „ὡς ὅστις ἂν οὕτω μὴ ποιήσῃ ἴστω οὗτος οὐκ ἐμοῦ τοῦ νομοθέτου ἀμελήσων ἀλλ' ἐς τὸν Κρόνον αὐτὸν ἀσεβήσων. Aliis locis Lucianus eodem sensu utitur futuro exacto; e. gr. Charon. § 12[a]: ἤν τε χαλκὸν ἤν τε χρυσὸν ἀναθῇς ἄλλοις μέν ποτε ἕρμαιον ἔσει ἀνατεθεικώς; vel futuro verbi εἰμί c. part. aor.: ὁπόσ' ἂν ἀποσκώψῃς εἰς ἐμὲ

καὶ εἰς ἐκείνους ἀποσκώψας ἔσει. (de quo cf. Cobet. Var. Lect. p. 320). Sed praesens ferri non potest.

§ 2a: ἐγὼ οὖν ὁ ἐπὶ κάλλει μέγα φρονῶν ἔτι ἀγένειος αὐτὸς ὢν σὸς πατὴρ κεκλήσομαι. Apollo semper imberbis est; lege ergo ἔτι δ' ἀγένειος: et qui praeterea imberbis sum.

§ 3a: πρῴην δὲ καὶ Ἀθηναίοις συμμαχήσας οὕτως ἠρίστευσα ὥστε καὶ ἀριστεῖον ᾑρέθη μοι τὸ ὑπὸ τῇ ἀκροπόλει σπήλαιον. Quia ἀριστεῖον non αἱρεῖται sed ἐξαιρεῖται legendum est ἐξῃρέθη. In re simili legitur in Veris Historiis II, 23: ἐφ' οἷς καὶ ὕστερον ἐξῃρέθη αὐτῷ ἀριστεῖον καλός τε καὶ μέγιστος παράδεισος ἐν τῷ προαστείῳ.

Insulsum emblema ejiciendum est e XXIII, 1: ὁ μὲν γὰρ Ἔρως πάγκαλος καὶ τοξότης καὶ δύναμιν οὐ μικρὰν περιβεβλημένος ἁ π ά ν τ ω ν ἄ ρ χ ω ν ὁ δὲ θῆλυς καὶ ἡμίανδρος καὶ ἀμφίβολος τὴν ὄψιν.

XXIV, 1 queritur Mercurius ad matrem suam: οὐ γὰρ ἱκανά μοι τὰ τῆς ἡμέρας ἔργα ἐν παλαίστραις εἶναι κἀν ταῖς ἐκκλησίαις κηρύττειν καὶ ῥήτορας ἐκδιδάσκειν ἀλλ' ἔτι καὶ νεκρικὰ συνδιαπράττειν μεμερισμένον. Haec ut bene procedant post συνδιαπράττειν inserendum est δεῖ.

Dial. Marin. V, 2: κἀπειδὴ ὁ Ἑρμῆς ἀνελόμενος (τὸ τῆς Ἔριδος μῆλον) ἐπελέξατο τὰ γεγραμμένα, αἱ μὲν Νηρηΐδες ἡμεῖς ἀπεσιωπήσαμεν. τί γὰρ ἔδει ποιεῖν ἐκείνων παρουσῶν; αἱ δ' ἀντεποιοῦντο ἑκάστη καὶ ἑαυτῆς εἶναι τὸ μῆλον ἠξίουν. Primum pro τὰ γεγραμμένα lege τἀπιγεγραμμένα; recte supra ἐπεγέγραπτο, pro quo tamen alii codices ἐγέγραπτο, quod eo monui ut appareret quam parum in talibus sit tribuendum scribis. Deinde displicet extrema pars hujus loci; vel potius constat mihi

eam partem absurde corruptam esse. Namque ut jam concedam recte dictum esse *αἱ δ' ἀντεποιοῦντο ἑκάστη*, ecquis probabit *ἑαυτῆς εἶναι ἠξίουν*? Videtur locus in hunc modum restituendus esse: *αἱ δ' ἀντεποιοῦντο ἑκάστη ἑαυτῆς εἶναι τὸ μῆλον ἀξιοῦσαι.* Cf. pag. 29 seq.

VI, 3: Neptunus ad raptam Amymonen: *θάρρει, οὐδὲν δεινὸν μὴ πάθῃς ἀλλὰ καὶ πηγὴν ἐπώνυμόν σοι ἀναδοθῆναι ἐάσω.* Recte Fritschius edidit *ποιήσω*, quod et codex Marcianus 434 praebet. Praeter locum ab Hemsterhusio citatum hunc quoque afferre potuisset: Deor. Dial. IV, 3: *καὶ ἀστέρα σου φαίνεσθαι ποιήσω κάλλιστον.*

VIII, 3: *ἐπαινῶ σε τῆς φιλομουσίας· ἄξιον γὰρ τὸν μισθὸν ἀπέδωκας αὐτῷ ἀκροάσεως.* Laudandus Fritschius qui jure postliminii restituerit injuria exsulantem articulum *τῆς*. Quodsi in impressis libris fieri potest ut vocabulum excidat, quid de scriptis codicibus censendum est? Prae ceteris vero articulus variis casibus est obnoxius. Apponam unum et alterum exemplum.

Dial. Mort. I, 1: *καὶ μάλιστα ἐπειδὰν ὁρᾷς τοὺς πλουσίους καὶ τυράννους οὕτω ταπεινοὺς καὶ ἀσήμους ἐκ μόνης οἰμωγῆς διαγιγνωσκομένους.* l. *ἐκ μόνης τῆς οἰμωγῆς.*

Zeux. § 2[a]: *οὐ μὴν τοσοῦτόν γε οὐδὲ ὅλον τῇ καινότητι νέμειν ἠξίουν*, quod nihil est nisi legas *τὸ ὅλον.*

Anachars. § 23[a]: *εἶδον ὦ Σόλων οὓς φῂς τοὺς τραγῳδοὺς καὶ κωμῳδοὺς εἴ γε ἐκεῖνοί εἰσιν ὑποδήματα μὲν βαρέα καὶ ὑψηλὰ ὑποδεδεμένοι*; lege *οἱ ὑποδήματα κ. τ. λ.* Sensus enim hic est: siquidem illi homines quos ego vidi altis gravibusque calceamentis instructos histriones erant.

Deor. Dial. XVI, 2 Juno de Marsyae tristi sorte ita loquitur: *νῦν δὲ κατασοφισθεὶς ἄθλιος ἀπόλωλεν ἀδίκως ἁλούς.*

Quia Juno hoc dicit: miserrimus ille periit malis artibus circumventus, articulus requiritur scribendumque ἄθλιος. Et omnino saepissime mihi inter legendum observati sunt loci ubi vocabulum ἄθλιος ita articulo suo careat, in nominativo masculini dumtaxat; nam nusquam repperi ἄθλιον pro τὸν ἄθλιον vel ἀθλία pro ἡ ἀθλία.

Contrarium accidit loco in libro de morte Peregrini § 28a: καὶ μὰ Δί' οὐδὲν ἀπεικὸς ἐν τοῖς πολλοῖς τοῖς ἀνοήτοις εὑρεθήσεσθαί τινας τοὺς καὶ τεταρταίων ἀπηλλάχθαι δι' αὐτοῦ φήσοντας, ubi video jam Fritschium, ut solet, verum vidisse: ἐν πολλοῖς τοῖς ἀνοήτοις, i. e.: ubi tanta est dementium copia. Si enim haec est sententia, non praemittitur articulus. Sic Diogenes in libro de Hist. conscr. § 3a negat se quiescere velle ἐν τοσούτοις ἐργαζομένοις, i. e. ubi tanta multitudo civium suorum in opere essent occupati.

Necyom. § 6a: σφαλεὶς οὖν καὶ τῆσδε τῆς ἐλπίδος ἔτι μᾶλλον ἐδυσχέραινον ἠρέμα παραμυθούμενος ἐμαυτὸν ὅτι κ. τ. λ.. Ante ἠρέμα inserendum videtur καίτοι vel καίπερ.

§ 7a: ἔλου κατάγων ἕωθεν ἐπὶ τὸν Εὐφράτην. Recte codex Marcianus 434: καταγαγών.

§ 16a: τὸν δ' ἄμορφον καὶ γελοῖον παρεσκεύασεν. Quia sermo est de vestimentis l. ἐσκεύασεν.

Recte § 20a Fritschius praepositionem delevit in: οὕτω γὰρ ἐντελῆ γίγνεται καὶ κύρια τὰ ἀνεγνωσμένα, et ἐγνωσμένα restituit.

Charon. § 6a: ἢ τί γὰρ οὐκ ἂν ποιήσειεν ἐκεῖνος ὁ τὴν οἰκίαν σπουδῇ οἰκοδομούμενος εἰ μάθοι ὅτι ἡ μὲν ἕξει τέλος αὐτῷ ὁ δὲ ἄρτι ἐπιθεὶς τὸν ὄροφον ἄπεισι τῷ κληρονόμῳ καταλιπὼν ἀπολαῦσαι αὐτῆς. Non male quis ita haec corrigeret: ὅτι ἡ μὲν ἕξει τέλος αὐτὸς δὲ ἄρτι ἐπιθεὶς τὸν ὄροφον ἄπεισι.

§ 22a: οὐκ οἶδ' ὦ πορθμεῦ τί ταῦτα πρὸς τοὺς ἐν Ἅιδου. πεπιστεύκασι γοῦν τὰς ψυχὰς ἀναπεμπομένας κάτωθεν δειπνεῖν. Quoniam secunda pars hujus loci non continet argumentum prioris, cum codice Vaticano 87 legendum est δ' οὖν pro γοῦν. In loco simillimo Dial. Mort. VIII recte Dindorfius edidit: ὅ, τι μὲν αὐτὸς ἐνέγραψε ταῖς ἑαυτοῦ διαθήκαις οὐκ οἶδα· ἐγὼ δ' οὖν ἄφνω ἀπέθανον, quum alii γοῦν habeant.

Vitarum auctio § 15a: παιδαγωγοῦ ἐδεόμην τῷ παιδὶ καλῷ ὄντι μοι. Quoniam τῷ παιδί jam significat meo filio, abesse potest μοι, quo ejecto non parum adjuvatur loci elegantia.

Piscator. § 6a: αὐτὰ γοῦν ἃ φημι ταῦτα, πόθεν ἄλλοθεν ἢ παρ' ὑμῶν λαβὼν καὶ κατὰ τὴν μέλιτταν ἀπανθισάμενος ἐπιδείκνυμαι τοῖς ἀνθρώποις; οἱ δὲ ἐπαινοῦσι καὶ γνωρίζουσιν ἕκαστον τὸ ἄνθος ὅθεν ἀνελεξάμην.

Haec non solum elegantius sed quod pluris est modestius etiam dicta erunt si legas: οἱ δ' ἐπαινοῦντες καὶ γνωρίζουσιν κ. τ. λ.: qui vero me laudant illi simul norunt unde flosculos meos decerpserim.

§ 51a: εὖ ἔχει περιεπάρη τις μάλα καρτερός. Mihi magis placeret: περιεπάρη τις μάλα καρτερῶς: firmiter haeret.

Catapl. sive Tyrann. § 17a codex Marcianus 434 ut spero in posterum editiones liberabit absurda lectione: πρῶτος ἐπὶ τὸν κλῆρον ἐκαλεῖτο παρὰ τῶν νόμων. Recte codex Marcianus: κατὰ τὸν νόμον. Namque una tantum Solonis lex jubebat τοῖς ἐγγυτάτω γένους μετεῖναι τῶν χρημάτων. (Arist. Av. vs. 1666); et eliminatur ita praepositio παρά cui omnino locus non est.

§ 29a ita Rhadamanthus tyrannum condemnat: καταδεδικάσθω καὶ παρὰ τὸν Τάνταλον ἀπαχθεὶς οὑτοσὶ δεδέσθω μεμνη-

μένος ὧν ἔπραξε παρὰ τὸν βίον. Vocabulum *μεμνημένος* ita positum rationem reddit quare aliquis aliquid agat. Quod parum convenit in tyrannum qui hercle non sua sponte et re accurate deliberata ad impiorum sedes proficiscitur. Lege *μεμνησόμενος ὧν ἔπραξε παρὰ τὸν βίον*: ut angatur conscientia eorum quae in vita contra jus et fas commisit et eorum poenas det; quod non multum differt ab eo quod legitur in Necyom. § 12ª: *ὁ δ' οὖν Μίνως ἐπιμελῶς ἐξετάζων ἀπέπεμπεν ἕκαστον ἐς τὸν τῶν ἀσεβῶν χῶρον* δίκην ὑφέξοντα *κατ' ἀξίαν τῶν τετολμημένων*; et in Ver. Hist. II, § 24ª: *συλλαβόντες δ' οὖν τοὺς νενικημένους καὶ δήσαντες αὖθις ἀπέπεμψαν ἔτι μᾶλλον* κολασθησομένους.

De mercede conductis §. 17ª: *ἐπίφθονος δ' οὖν ἀπὸ τῆς προπόσεως ἐκείνης πολλοῖς τῶν παλαιῶν φίλων γεγένησαι, καὶ πρότερον ἐπὶ τῇ κατακλίσει ἐλύπησάς τινας αὐτῶν.* Non assentior Fritschio improbanti Bekkeri lectionem *λυπήσας*. Hoc enim mihi quoque in mentem venerat nondum cognita Bekkeri sententia; et nunc quo saepius hunc locum relego eo magis mihi persuadetur *ἐλύπησας* admodum durum esse.

§ 5ª: *δοκῶ δέ μοι καλῶς ἂν ποιῆσαι εἰ τὰς αἰτίας ἀφ' ὧν ἐπὶ τὸν τοιοῦτον βίον ἀφικνοῦνται προεξετάσας δείξαιμι οὐ πάνυ βιαίους οὐδ' ἀναγκαίας.* Aut Graece licet temere vocabula omittere aut inserendum est post *ἀναγκαίας* participium *οὔσας*. Si quis roget quomodo excidere potuerit, forsitan probabiliter ita respondeam: adjectivum *ἀναγκαῖος* vel duas vel tres habet terminationes; scriptum autem erat in codice unde nostri codices originem suam deduxerunt *ἀναγκαίους* suprascripta syllaba *ας*; ita illud *ους—ας* sequenti *οὔσας* exitio fuit.

§ 20[a] adulator patroni recens conductum philosophum ita alloquitur: οὐκ ἔχω ὅπως σε τῆς εὐποτμίας μακαρίσω ὃς καὶ προςλήψει μισθὸν τῆς τοιαύτης εὐδαιμονίας. Admodum ambigue neque adulatori convenienter hoc esset dictum. Lege ergo: τῆς τοσαύτης εὐδαιμονίας.

Hermot. § 1[a]: καὶ τὸ κινδύνευμα οὐ περὶ μικρῶν ἢ ἄθλιον εἶναι — ἢ εὐδαιμονῆσαι. Mihi ante ἢ ἄθλιον inserendum videtur ἀλλ': qui philosophiae dant operam non in re parvi pretii periclitantur, verum in eo illorum periculum versatur ut aut miserrimi sint aut beati. Conferri potest quod legitur in Bis Accus. § 2[a]: καὶ ὁ κίνδυνος οὐκ εὐκαταφρόνητος εἰ ταῦτα οἱ ἄνθρωποι πιστεύσουσιν αὐτῷ ἀλλ' ἀστεφάνωτοι μὲν ἡμῖν οἱ ναοὶ ἔσονται κ. τ. λ..

Hermot. § 3[a]: ἀλλὰ τήν γε ἀρχὴν ὁ αὐτὸς οὗτος Ἡσίοδος ἥμισυ τοῦ παντὸς ἔφη εἶναι ὥςτε κατὰ μέσην τὴν ἄνοδον εἶναί σε ἤδη λέγοντες οὐκ ἂν ἁμάρτοιμεν. Nullus hic locus est particulae γε; verum quoniam causa affertur requiritur γάρ, ut Latine: sed — enim. Omnem eximet scrupulum Rhet. Praec. § 7[a]: καὶ ἔφθη γὰρ ἤδη ὁ Ἡσίοδος εὖ μάλα ὑποδείξας αὐτὴν ὥςτε οὐδὲν ἐμοῦ δεήσει.

Hermot. § 7[a]: ἀνελθόντες ἐπὶ τὸ ἄκρον εὐδαιμονοῦσι πλούτου καὶ δόξης καὶ ἡδονῶν ἀλλ' οὐδὲ μεμνημένοι ἔτι, καταγελῶντες δὲ τῶν οἰομένων ταῦτα εἶναι. Quare omnes adhuc editores spreverint antiquam emendationem ταῦτά τι εἶναι equidem non perspicio. Nam parum attinet eam formulam τι εἶναι fortasse nusquam apud Lucianum reperiri, quum in masculino genere eadem ei sit usitatissima. Pisc. § 6[a]: ἔσθ' ὅςτις οὖν ταῦτα εὖ

πεπονθὼς παρ' ὑμῶν κακῶς ἂν εἰπεῖν ἐπιχειρήσειεν εὐεργέτας ἄνδρας ἀφ' ὧν ἤδη τις εἶναι ἔδοξε. Hipp. § 3a: ἐν ἐκείνῳ εὐδοκιμήσας εἶναί τις ἔδοξε. Adv. Ind. § 1a: οἴει μὲν γὰρ ἐν παιδείᾳ καὶ αὐτός τις εἶναι δόξειν. Conv. § 35a: ἀλλ' ἐγέλων (οἱ ἰδιῶται) καὶ κατεγίγνωσκον αὐτῶν (τῶν φιλοσόφων) οὓς γε ἐθαύμαζον οἰόμενοί τινας εἶναι ἀπὸ τῶν σχημάτων. Video tamen virum clar. v. Herwerden in libello nuperrime mihi allato probare εἶναί τι.

§ 13a: παῖδας εὖ ἴσθι οἴησει ἅπαντας ὡς πρὸς σὲ, τοσοῦτον ὑπερφρονήσεις αὐτός. l. αὐτῶν.

§ 27a: εἰ μή τις οὕτω σφόδρα παραπαίοι ὡς οἴεσθαι καὶ τὴν ἐς Ὑπερβορέους καὶ τὴν ἐς Ἴνδους ἄγουσαν ἐς Κόρινθον στέλλειν. Non admodum lepide et acute haec enunciata sunt; nam ἄγειν et στέλλειν prorsus idem significant; quapropter opinor legendum esse: ἐς Κόρινθον τελεῖν: omnes illas vias in unum competere et exire.

Magis placeret si § 28a pro οὐκοῦν οὐ μικρᾶς δεῖ βουλῆς legeretur: οὔκουν μικρᾶς δεῖ βουλῆς.

§ 30a: „Si ego” Lycinus ait „Stoicam philosophiam ut optimam mihi eligerem, meque adversus praestantissimos reliquarum sectarum magistros ita defenderem, ut dicerem me hac in re tuo usum esse auxilio, Hermotime, jure illi ita loquerentur: ἡμεῖς ὦ Λυκῖνε οὐκ ἴσμεν τὸν Ἑρμότιμον τοῦτον ὅστις ποτέ ἐστιν οὐδὲ ἐκεῖνος ἡμᾶς, ὥστε οὐκ ἐχρῆν ἁπάντων καταγιγνώσκειν οὔτε ἐρήμην καταδιαιτᾶν.” Quae vis insit vocabulo ἁπάντων equidem non video; si scriptum esset ἁπάντων τῶν ἄλλων aliquo modo ferri posset. Verum lege ὥστε οὐκ ἐχρῆν ἀπόντων καταγιγνώσκειν οὔτε ἐρήμην καταδιαιτᾶν. Haec ita inter se jungi docet locus in Anach. § 40a: μὴ ἐρήμην μηδὲ τῶν ἀνδρῶν ἀπόντων μόνος αὐτὸς λέγων οἴου κρατεῖν.

Recte Fritschius in § 81a collata Peregr. § 9_a pro εἰ μὴ ἐγὼ ταλάντου ὠνησάμην τὸ πλημμέλημα edidit ἐξωνησάμην. Nam profecto malam mercem emit qui πλημμέλημα ὠνεῖται.

§ 84a Aesopus narrasse dicitur: ἄνθρωπόν τινα ἐπὶ τῇ ἠόνι καθεζόμενον ἀριθμεῖν τὰ κύματα, σφαλέντα δὲ ἄχθεσθαι καὶ ἀνιᾶσθαι ἄχρι δὴ τὴν κερδὼ παραστᾶσαν εἰπεῖν· τί ἀνιᾷ τῶν παρελθόντων ἕνεκα, δέον τὰ ἐντεῦθεν ἀρξάμενον ἀριθμεῖν ἀμελήσαντα ἐκείνων. Quia ita τὰ ἐντεῦθεν pendet ab ἀριθμεῖν vehementer languet ἀρξάμενον et omni vi caret. Lege ergo: τὸ ἐντεῦθεν ἀρξάμενον et cf. τὸ ἀπὸ τούτου in Dial. Mort. X, 1.

Zeux. § 3a: ἐν δὲ τοῖς ἄλλοις τολμήμασι καὶ θήλειαν Ἱπποκένταυρον ὁ Ζεῦξις αὐτὸς ἐποίησε. Certum est αὐτός esse corruptum; neque tamen placet Fritschii ratio αὐτός delentis. Verum quum praecedens sententia initium faciat a nomine Zeuxis, deinde longa sequatur descriptio nobilissimi illius pictoris plena ambagibus, ubi tandem perventum est ad eam historiam quam de Zeuxide narrare sibi scriptor proposuit, requiritur quaedam ἀνακεφαλαίωσις, legendumque est: ὁ Ζεῦξις οὗτος.

Contrario vitio laborat locus in § 8a. Post narrationem de Zeuxide alteram addit scriptor: Ἀντίοχος δὲ ὁ σωτὴρ ἐπικληθεὶς καὶ οὗτος ὅμοιόν τι παθεῖν λέγεται ἐν τῇ πρὸς Γαλάτας μάχῃ. l. καὶ αὐτός ex certo Luciani usu cujus exempla in quovis libro obvia.

In Scyth. § 2a legitur τοῦτο συχνάκις γενόμενον ἔπαυσε μηκέτι λοιμώττειν αὐτούς. Equidem lubens accipio glossema ἐποίησε pro ἔπαυσε; primum quia παύειν habet participium, non infinitivum; deinde quia μηκέτι in vulgata lectione absurde additum est. Graecum esset ἔπαυσε λοιμώττοντας (cf. Hist. conscr.

§ 1ª: ἔπαυσε ληροῦντας αὐτούς), non ἔπαυσε λοιμώττειν, minime ἔπαυσε μηκέτι λοιμώττειν.

Hist. quom. conscr. § 1ª: πυρέττειν γὰρ ἅπαντας ἐρρωμένως καὶ λιπαρεῖ τῷ πυρετῷ. Nullam causam video quare non legatur ἐρρωμένῳ; nam neque ἐρρωμένως πυρέττειν bene dicitur, neque ἐρρωμένως καὶ λιπαρεῖ satis concinnum est. Accedit huc quod Lucianus ita adjectivo ἐρρωμένος utitur; cf. Advers. Indoct. § 22ª: μανίαν ἐρρωμένην μαίνεσθαι.

Ibid.: ὡς πυρέξαι τε ἀπὸ τοῦ θεάτρου τοὺς πολλούς. Quid sibi velit istud ἀπὸ τοῦ θεάτρου non apparet. Vertunt „ab ipso theatro", quod nihil est. Lege τοῦ θεάτρου τοὺς πολλούς: spectatorum maxima pars. Notissimus est hic vocabuli θέατρον usus, neque Luciano inauditus; quamquam unicus locus quem nunc afferre possum satis ridiculo additamento foedatus est. Advers. Indoct. § 9ª: τούτοις ἅπασι προεκπλήξας τὸ θέατρον καὶ θαυμαστῆς ἐλπίδος ἐμπλήσας τοὺς θεατάς. Luce clarius est hoc loco τὸ θέατρον significare spectatores; non ergo ferendum τοὺς θεατάς quasi alii quidam sint.

§ 8ª: ἀλλὰ κἂν Ἀγαμέμνονα ἐπαινέσαι ἐθέλωσιν οὐδεὶς ὁ κωλύσων Διὶ μὲν αὐτὸν ὅμοιον εἶναι τὴν κεφαλὴν καὶ τὰ ὄμματα, τὸ στέρνον δὲ τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ τῷ Ποσειδῶνι, τὴν δὲ ζώνην τῷ Ἄρει καὶ ὅλως σύνθετον ἐκ πάντων θεῶν γενέσθαι δεῖ τὸν Ἀτρέως καὶ Ἀερόπης. Illud δεῖ obliviosus lector inseruit cui non satis liquidum esset unde penderet infinitivus γενέσθαι. Quare delere illam vocem magis mihi placet quam cum Fritschio legere εἰ δέοι, quum non satis sit perspicuum quomodo id in δεῖ corrumpi potuerit.

Alex. § 2ª: „Si quis vitio nobis dederit" scriptor ait „quod hominis tam profligati, quam Alexander fuit, vitam nobis scribendam sumsimus, ἕξομεν καὶ αὐτοὶ ἐς παράδειγμά τι τοιοῦτον ἀνενεγκεῖν." Quia hoc dicit: „non deërit nobis exemplum quo illud scribendi genus defendamus", legendum est τὸ τοιοῦτον; hoc enim de re proxime praecedenti a nostro usurpatur. Cf. Jov. Trag. § 30ª: φὴς γὰρ καὶ μάντις εἶναι καὶ μισθοὺς οὐκ ὀλίγους ἐπὶ τῷ τοιούτῳ ἐξέλεξας. Saturn. § 4ª: εἰ μή σοί γε μικρὸν δοκεῖ τὸ νικᾶν κυβεύοντα . . . . . πολλοὶ γὰρ ἐς κόρον ἀπὸ τοῦ τοιούτου ἐπεσιτίσαντο.

§ 4ª: τό τε περίεργον καὶ τὸ μνημονικὸν καὶ πρὸς τὰ μαθήματα εὐφυὲς πάντα ταῦτα εἰς ὑπερβολὴν ἕκαστα ὑπῆρχεν αὐτῷ. Quia πάντα ταῦτα — ἕκαστα languidius est pro concitato hujus descriptionis sermone, probandam censeo lectionem duorum codicum Marcianorum ἑκασταχοῦ.

Insulsum emblema legitur in § 40ª: ὁ μηρὸς αὐτοῦ ἐξεπίτηδες χρυσοῦς διεφάνη . . . . . ὥστε καὶ γενομένης ποτὲ ζητήσεως εἴτε Πυθαγόρου τὴν ψυχὴν ἔχοι διὰ τὸν χρυσοῦν μηρόν, εἴτε ἄλλην ὁμοίαν αὐτῷ. Quamquam fortasse absurdius etiam est quod reperitur in § 56ª: ἀλλὰ δακρύων ἐκεῖνος ἔπεισε καὶ τοὺς συνναύτας μηδὲν ἡμᾶς δεινὸν ἢ κακὸν ἐργάσασθαι.

§ 59ª: οἰκτίστῳ τέλει ἀπέθανεν ὡς Ποδαλειρίου υἱὸς διασαπεὶς τὸν πόδα. Restitue scriptori acrem ironiam legendo: ὁ Ποδαλειρίου υἱός. In eadem re legitur Dial. Mort. XIV, 5: ἢ τίς οὐκ ἂν ἐγέλασεν ὁρῶν τὸν τοῦ Διὸς υἱὸν λιποψυχοῦντα δεόμενον τῶν ἰατρῶν βοηθεῖν. Video Fritschium idem a se repertum aliisque probatum postea rejecisse. Quod satis mirari non possum. Nam quod ille in altera editione dat ὡς Ποδαλειρίου υἱὸς δή. idque cum irrisione dictum esse affirmat, in eo vir sum-

mus errasse videtur. Nempe *ὡς δή* ita ponitur si quis sua sponte et de industria aliquid agat ut falsa specie ceteris hominibus imponat; e. gr. Ver. Hist. I, § 3[a]: *συνέγραψαν ὡς δή τινας ἑαυτῶν πλάνας*; parum convenit hoc in Alexandrum, qui postquam jamdiu Podalirii filii personam gesserat in taeterrimum morbum est implicitus. Quis non rideret si Latine legeret: mortuus est putrefacto pede quasi Podalirii filius esset.

In libro de Saltatione videor mihi aptam medelam reppe-risse loco qui nunc languidissimus circumfertur. Editur § 62: *ἀλλ' ὅπερ ἔφη ὁ Πυθικὸς χρησμὸς δεῖ τὸν θεώμενον ὄρχησιν καὶ κωφοῦ συνιέναι καὶ μὴ λαλέοντος (τοῦ ὀρχηστοῦ) ἀκούειν.* Primum dici solet *ὁ θεώμενος* et *οἱ θεώμενοι* sine objecto pro *ὁ θεατής* et *οἱ θεαταί*; deinde ut ferre possem *ὁ θεώμενος ὀρχηστάς* ut *κωμῳδούς, τραγῳδούς, ἀθλητὰς θεᾶσθαι*, ita *θεᾶσθαι ὄρχησιν* nimis puerile videtur. Postremo parum eleganter interjecto isto *τοῦ ὀρχηστοῦ* oraculi versus interrumpitur. Ergo legendum puto: *δεῖ τὸν θεώμενον ὀρχηστοῦ καὶ κωφοῦ συνιέναι καὶ μὴ λαλέοντος ἀκοῦσαι.*

Eunuch. § 10[a]: *εἰ δὲ μὴ ψεύδονται οἱ περὶ αὐτὸν λέγοντες καὶ μοιχὸς ἑάλω ποτέ.* Quia Favorinus non is erat de quo homines orationes haberent, lege pro *λέγοντες*: *λόγοι* sermones rumoresque de eo.

Imag. § 2[a]: *οὐδὲ τοὔνομα ἐπύθου; οὐδαμῶς ἢ τοῦτο μόνον τῆς Ἰωνίας ἐστίν.* Post *μόνον* inserendum est *ὅτι*. Cf. Alex. § 13[a]:

ἐξέπληττε τοὺς ἀνθρώπους οὐκ εἰδότας ὅ, τι καὶ λέγοι ἢ τοῦτο μόνον ὅτι πᾶσιν ἐγκατεμίγνυ τὸν Ἀπόλλω καὶ τὸν Ἀσκληπιόν.

§ 21ª: Φιλοφροσύνας τοσούτῳ ἡδίους ὅσῳ καὶ παρὰ μείζονος ὅμως γιγνόμεναι οὐδὲν τραγικὸν ἐμφαίνουσιν. Melius haec procedent si ὅμως et γιγνόμεναι locum inter se mutare jusseris.

Pro Imagin. § 25ª. Laudato Homero pluribusque exemplis ex ejus libris allatis haec adduntur: ἐπὶ μέν γε τοῦ Ἀγαμέμνονος ὅρα ὅσην αὐτὸς Φειδῷ ἐποιήσατο τῶν θεῶν. Pro αὐτός lege ὁ αὐτός.

Toxar. § 27ª haec narrantur: „Demetrius cum amico suo Antiphilo domo profectus una cum eo (in regione peregrina) erat, et ipse a Rhodio sophista placitis Cynicorum instruebatur, quum amicus medicinae operam daret." E sequentibus autem liquido apparet peregrinam illam regionem fuisse Aegyptum; namque Antiphilus, qui ibi remanet quo primum advenerunt, in carcerem conjectus ab Aegyptio custode servatur (§ 29ª); postea a praefecto Aegypti liberatur (§ 33ª), et ἔτι καὶ νῦν ἐν Αἰγύπτῳ ἐστίν (§ 34ª). Neque audax esset qui conjiceret Alexandriam illos profectos esse ibique per aliquod tempus moratum esse utrumque; nam Alexandria erat sedes et forum omnium disciplinarum; cf. praeterea § 31ª τοῖς ἐν τῷ λιμένι ἐμπόροις. Sed sive Alexandriae, sive in alia Aegypti urbe primum tempus degit uterque, male verbis a me citatis haec adduntur: καὶ δή ποτε ὁ Δημήτριος ἔτυχεν ἐς τὴν Αἴγυπτον ἀποδημῶν κατὰ θέαν τῶν πυραμίδων καὶ τοῦ Μέμνονος. Qui enim ἐς τὴν Αἴγυπτον ἀποδημεῖν potest is qui jamdudum in Aegypto est? Necesse ergo est ut pro Αἴγυπτον restituatur nomen illius Aegypti partis ubi sunt pyramides; i. e. ἡ ἄνω

Αἴγυπτος, sive ubi jam de Aegypto dictum est ἡ ἄνω. Lege ergo: ἔτυχεν ἐς τὴν ἄνω ἀποδημῶν. Vocabulum Αἴγυπτον a magistro additum in vocabuli ἄνω locum irrepsit.

Brevi intervallo duo manifesta emblemata reperiuntur. Alterum in § 38a: „Si hanc ob causam" Mnesippus Atheniensis ait „Acinaces vobis Scythis pro deo est, quod mortem affert, καὶ ἄλλους ἂν ἔχοιτε πολλοὺς θεούς, τὸν οἰστὸν καὶ τὴν λόγχην καὶ κώνειον καὶ βρόχον καὶ τὰ τοιαῦτα· ποικίλος γὰρ οὗτος ὁ θεὸς ὁ θ ά ν α τ ο ς. Alterum est in § 39a ubi Toxaris ita narrare incipit: τετάρτη μὲν ἦν ἡμέρα τῆς Φιλίας Δανδάμιδι καὶ Ἀμιζώκῃ ἀφ' οὗ τὸ ἀλλήλων αἷμα συνεπεπώκεσαν. Quoniam in iis quae proxime praecedunt Toxaris de ritu isto Scytharum in jungendis amicitiis late exposuit, multo elegantius magisque Scythae convenienter dictum erit si τῆς Φιλίας deleveris.

Quod primum Toxaris narrat hoc est (§ 39a): „alteram partem copiarum nostrarum in adversa ripa Tanaïdis stantem inspectantibus ceteris aggressi sunt Sauromatae multo majore numero. εὐθὺς οὖν ἥ τε λεία περιηλαύνετο καὶ τὰ αἰχμάλωτα συνείχετο καὶ τὰς σκηνὰς διήρπαζον, καὶ τὰς ἁμάξας κατελαμβάνοντο, αὐτάνδρους τὰς πλείστας ἁλισκομένας, καὶ ἐν ὀφθαλμοῖς ἡμῶν ὑβρίζοντες τὰς παλλακίδας καὶ τὰς γυναῖκας." Quia participio omnino locus non est, lege: ὕβριζον τάς τε παλλακίδας καὶ τὰς γυναῖκας.

Deinde pergit § 40a: Quum vero Dandamis inter captivos amicum suum Amizocen videret οὐδὲν ἔτι μελλήσας fluvium transnatat, (l. οὐδέν τι μελλήσας, namque narratum non est eum antea esse moratum,) amicumque quem oculis suis redemerat secum reducit; τοῦτο γενόμενον παρεμυθήσατο ἅπαντας

Σκύθας καὶ οὐκέτι ἡττᾶσθαι ἐνόμιζον. l. ἡττῆσθαι; obliviscebantur enim cladis acceptae.

Tertium amicitiae exemplum ita narrare incipit Scytha: (§ 44[a]) „Arsacomas, legatus ad Bosporanos missus, amore captus est Mazaeae filiae regis Bosporani. Est autem apud Bosporanos ea consuetudo ut proci inter epulas filias a patre uxores sibi petant; καὶ δὴ καὶ τότε ἔτυχον ἐν τῷ δείπνῳ πολλοὶ μνηστῆρες παρόντες, βασιλεῖς καὶ βασιλέων παῖδες, καὶ Τιγραπάτης ἦν ὁ Λαζῶν δυνάστης καὶ Ἀδύρμαχος ὁ Μαχλυηνῆς ἄρχων. Inferendum est ὢν καὶ Τιγραπάτης ἦν .....

Re infecta vero Arsacomas in patriam suam revertitur, amicisque suis narrat (§ 46[a]): ἡμᾶς μὲν ἐχλεύαζε καὶ κατεφρόνει, Ἀδυρμάχῳ δὲ τῷ Μάχλυϊ παρέδωκεν ἀπάγειν τὴν νύμφην ὅτι χρυσᾶς τε φιάλας ἐλέγετο ἔχειν δέκα καὶ ἁμάξας τετρακλίνους ὀγδοήκοντα καὶ πρόβατα καὶ βοῦς πολλούς. Non fuerat haec de Adyrmacho fama sed ipse haec de se pronunciaverat. Namque apud Bosporanos δεῖ ἕκαστον τῶν μνηστήρων αἰτήσαντα φιάλην ἐπισπεῖσαι κατὰ τῆς τραπέζης καὶ μνηστεύεσθαι τὴν παῖδα πολλὰ ἐπαινοῦντα ἑαυτὸν ὥς τις ἢ γένους ἢ δυνάμεως ἢ πλούτου ἔχει (§ 45[a]) Itaque Arsacomas, de opibus suis interrogatus, responderat: οὐχ ἁμάξας ἔχω οὔτε ἀγέλας ἀλλ' εἰσί μοι δύο φίλοι καλοὶ κἀγαθοί. Ergo in § 46[a] pro ἐλέγετο legendum est ἔλεγεν.

§ 50[a]: μηδεὶς δὲ παρέστω ἐς τὸν νεών. Vir clarissimus v. Herwerden legere vult παρίτω; mihi in mentem venerat παρεσίτω.

Saepissime apud Lucianum confunduntur αὑτοῦ et αὐτοῦ simm.; nusquam tamen manifestius hic error deprehenditur quam in § 61[a]: Abauchas cum uxore sua duobusque liberis

et amico Gyndane quum deversaretur in urbe Borysthenitarum, domus ejus incendio capta est. Abauchas e somno excitatus καταλιπὼν τὰ παιδία κλαυθμυριζόμενα καὶ τὴν γυναῖκα ἐκκρεμαμένην ἀποσεισάμενος καὶ σώζειν αὑτὴν παρακελευσάμενος ἀράμενος τὸν ἑταῖρον κατῆλθε. Qui alium in periculo destituit dicere potest: σῶζε σαυτόν. Lege ergo αὐτήν.

§ 62ᵃ: ἐμοὶ γὰρ δοκεῖ τρεῖς ἐκεῖνοι ἦσαν, l. δοκεῖν. Cf. V. H. I, 7: δύο ἴχνη, τὸ μὲν πλεθριαῖον, τὸ δ' ἔλαττον, ἐμοὶ δοκεῖν τὸ μὲν τοῦ Διονύσου τὸ μικρότερον, θάτερον δὲ Ἡρακλέους.

Jov. Conf. § 17ᵃ: ἵν' ὑμῖν μὴ τὰ νῦν λέγω καθ' ἕκαστον ἐπεξιὼν, τοὺς μὲν πονηροὺς εὐδαιμονοῦντας καὶ τοὺς πλεονέκτας, ἀγομένους δὲ καὶ φερομένους τοὺς χρηστοὺς ἐν πενίᾳ καὶ νόσοις καὶ μυρίοις κακοῖς πιεζομένους. Dicam quid mihi in his displiceat. Primum quia „πονηρούς" totum genus improborum amplectitur, non erat necesse unam speciem addere; neque si jam Lucianus τοὺς πλεονέκτας addidisset, ita πονηρούς et πλεονέκτας verbo interposito divulsisset. Deinde si saepe fit ut scelesti homines ad maximas opes summosque honores perveniant, ipsa πονηρία hoc efficit: malis enim artibus illi sibi viam aperiunt. Verum nemo umquam τῇ πλεονεξίᾳ sibi divitias et potentiam paravit: ipsa enim πλεονεξία non est indolis vitium, sed injusta quaedam tyrannis ad quam scelesti homines enituntur. Ergo ita locus restituendus videtur: τοὺς μὲν πονηροὺς εὐδαιμονοῦντας καὶ πλεονεκτοῦντας. Quam egregie nunc sequuntur: ἀγομένους δὲ καὶ φερομένους τοὺς χρηστούς; τοῖς πονηροῖς opponuntur οἱ χρηστοί, verbo πλεονεκτεῖν ἀγομένους καὶ φερομένους: mali enim, voti sui compotes facti, iniquum imperium exercent in cives suos eosque omnibus modis vexant et

exhauriunt. Non absurde me haec disputasse monstrabit locus in Jov. Trag. § 19[a]: *καὶ τοὺς μὲν χρηστοὺς αὐτῶν ἀμελουμένους ἐν πενίᾳ καὶ νόσοις καὶ δουλείᾳ καταφθειρομένους, πονηροὺς δὲ καὶ μικροὺς ἀνθρώπους προτιμωμένους καὶ ὑπερπλουτοῦντας καὶ ἐπιτάττοντας τοῖς κρείττοσιν.*

In Jov. Trag. § 7[a] in alienam sedem irrepsit docti cujusdam annotatio. Legitur enim: *μανθάνω ὅτι πλουτίνδην κελεύεις ἀλλὰ μὴ ἀριστίνδην καθίζειν* *κ α ὶ ἀ π ὸ τ ι μ η μ ά τ ω ν.*

Alius generis additamentum, non minus tamen molestum, reperitur in Somnio s. Gallo § 13[a]: Micylus ut gallo gallinaceo suo persuadeat non temere homines magni facere aurum, hoc utitur argumento: *ὁ δὲ πάντων θεῶν πατὴρ ..... οὐκ ἔχων ἐς ὅ, τι ἐρασμιώτερον αὐτὸν μεταβάλοι, οὐδ' ὅπως διαφθείρειε τοῦ Ἀκρισίου τὴν φρουρὰν ..... ἀκούεις δήπου ὡς χρυσίον ἐγένετο.* Verba *οὐδ' ὅπως διαφθείρειε τοῦ Ἀκρισίου τὴν φρουράν* parum ad rem pertinere nemo est quin perspiciat: auri enim virtus eo tantum demonstratur quod Jupiter non dedignatus sit in aurum se convertere; neque adversus custodes *ἀδώρους* multum ista conversione proficeret. Opinor doctum aliquem grammaticum his verbis exponere voluisse fabulae sensum metaphoricum; recentiores vero existimasse eam *ἐπίνοιαν* mytho inesse satis apparet ex noto Horatii carmine III, 16 vs. 5 sq.:

> si non Acrisium virginis abditae
> custodem pavidum Juppiter et Venus
> risissent; fore enim tutum iter et patens
> converso in pretium deo.

§ 22[a]: Gallus gallinaceus domino suo demonstrans ingentem

esse plebis potestatem, praeter alia argumenta hoc quoque affert: ἐν εἰρήνῃ τ' αὖ σὺ μὲν τοῦ δήμου ὢν ἀναβὰς εἰς ἐκκλησίαν τυραννήσεις τῶν πλουσίων, οἱ δὲ φρίττουσί σε. Futuro τυραννήσεις quum locus non sit, legendum est τύραννος εἶ, quod paulo praestare arbitror Fritschii conjectura τυραννεῖς.

Icarom. § 25ª: ὥςτε δὴ τὸ 'Ακαδημιακὸν ἐκεῖνο ἐπεπόνθει καὶ οὐδέν τι ἀποφήνασθαι δυνατὸς ἦν. Dele ἐπεπόνθει καί, ridiculum Atticae locutionis supplementum, ut satis apparet e plusquamperfecto ἐπεπόνθει.

Bis accus. § 21ª: τὴν παρὰ ταύτης ἀηδίαν μυσαχθείς; magis placeret παρὰ ταύτῃ: molesta et injucunda vita quae cum ista vivitur.

Pessime a scribis habitum est quod legitur in libro de Parasito § 3ª, qui locus nunc ita circumfertur ut nullus aptus sensus ex eo elici queat. Ubi primum Tychiades a Simone audivit parasiticam esse artem, ille respondet absurdum sibi videri „εἰ καὶ ταύτην ταῖς ἄλλαις τέχναις ἐγκαταλέξομεν ὥςτε ἐπειδάν τις ἔρηται ὁποία τις αὕτη τέχνη ἐστὶ, λέγειν οἷον γραμματική, ἰατρική, παρασιτική." Non facile credo videbis quid haec sibi velint. Interpres ita vertit: „. . . . . ut, cum interrogaverit aliquis qualis haec ars sit, respondeatur (sicut Grammatica, Medicina) Parasitica." Sensu cassum hoc esse quisque mihi concedet. Verum dele αὕτη, et omnia erunt integra et vere Platonica: ὥςτε ἐπειδὰν πυνθάνηταί τις ὁποία τις τέχνη ἐστὶ, λέγειν· οἷον γραμματική, ἰατρική, παρασιτική, i. e. ut si

quis nos roget quale aliquid ars sit (vel barbare: definitionem vocabuli ars a nobis petat), nos ei ita respondeamus ut rem exemplis demonstremus: „ars est exempli gratia grammatica, medicina, parasitica." Optime convenit nunc Simonis responsum: attamen ego parasiticam magis artis nomine dignam puto quam ullam aliam.

οἷον pro „exempli gratia" saepius legitur in quovis Platonis dialogo; de formula ὁποία τις τέχνη cf. Hirschig. ad hanc §, Plato de Rep. 438·E, de Legg. 767 E.

De Paras. § 27[a]: Parasitus ut demonstret parasiticam longe praestare philosophia, hoc utitur argumento ut ostendat de rerum natura non convenire inter sectas philosophorum, aliter aliis de ea persuasum esse; tunc ita pergit: „καὶ μέχρι γε νῦν οὔτε οἱ αὐτοὶ γνώμης κρατοῦσιν, οὔτε αὐτῶν ἡ τέχνη μία φαίνεται." Non memini me usquam legere γνώμης κρατεῖν; videtur tamen significare „causam suam obtinere." Quid ergo parasitus philosophis et philosophiae objicit? Nempe hoc, quod quamquam jam saepe et diu de studiis suis certarunt philosophi, tamen res nondum ad certum eventum est perducta. Nunc Epicurei, mox Stoici in disputando palmam victoriae referunt: οὔτε οἱ αὐτοὶ γνώμης κρατοῦσιν ἀεί. Postremum vocabulum facile excidere potuit. (Cf. Cobet Nov. Lect. ad Xenoph. Hell. I, 6, 4.)

Liber de Parasito hoc maxime vitio laborat quod multis locis vocabula quaedam exciderunt; quae lacunae quum jam maximam partem a viris doctis sint expletae, eo magis miror, etiamnunc decurtatum circumferri locum ubi tamen quae vocabula exciderint extra omnem dubitationem est positum. Legitur § 60[a]. Parasitus ita adversarium suum convincere studet, ut

eum exemplis doceat verba cum παρά composita majus aliquid significare quam simplicia.

Ita τὸ παρατρέχειν praestat τῷ τρέχειν, τὸ παραπλεῖν τῷ πλεῖν; significat enim: „superare currendo, navigando etc."; unde facile hoc conficitur: τὸ παρασιτεῖν praestat τῷ ἐσθίειν. Etenim hoc primum convenit inter disputantes, σιτεῖσθαι idem esse quod ἐσθίειν quum neque σῖτος et τροφή quidquam inter se differant. Sed in talibus syllogismis nihil licet omittere, nihil cogitatione supplendum relinquere. Quod tamen hic accidit; ubi enim hoc constat: τροφή i. q. σῖτος, ergo σιτεῖσθαι i. q. ἐσθίειν, non ante transire licet ad novam illam disputationem παρατρέχειν praestat τῷ τρέχειν, ergo παρασιτεῖν τῷ ἐσθίειν, quam et hoc convenit: παρασιτεῖν i. q. παρεσθίειν. Nam haec debet esse syllogismi forma brevissima:

τὸ παρατρέχειν praestat τῷ τρέχειν
atqui τὸ παρασιτεῖν idem est quod παρεσθίειν
ergo τὸ παρασιτεῖν praestat τῷ ἐσθίειν.

Non tamen illam partem disputationis (τὸ παρασιτεῖν i. q. τὸ παρεσθίειν) inserendam esse ego pro certo affirmarem, nisi in initio hujus loci lacunae tenerentur certissima vestigia. Exscribam locum ut magis appareat quid velim: Π. Φέρε γάρ, τὸν σῖτον οἱ παλαιοὶ τί καλοῦσι; Τ. τροφήν. Π. τί δὲ τὸ σιτεῖσθαι; οὐχὶ τὸ ἐσθίειν; Τ. ναί. Π. οὐκοῦν καθωμολόγηται τὸ παρασιτεῖν ὅτι οὐκ ἄλλο ἐστί; Quid ergo? quia τὸ σιτεῖσθαι idem est quod ἐσθίειν, etiam παρασιτεῖν ab eo nihil differt. Sed fac ita esse Respondet Tychiades: τοῦτο γὰρ ὦ Σίμων ἐστὶν ὃ αἰσχρὸν φαίνεται. Non credo quemquam tanto opere aversari parasiticam ut etiam ἐσθίειν ei turpe videatur. Insere nunc quod ego pro-

ponebam et ita totum locum constitue: Π. τὸν σῖτον οἱ παλαιοὶ τί καλοῦσι; Τ. τροφήν. Π. τί δὲ τὸ σιτεῖσθαι; οὐχὶ τὸ ἐσθίειν; Τ. ναί. Π. οὐκοῦν καθωμολόγηται τὸ παρασιτεῖν ὅτι οὐκ ἄλλο ἐστὶν ἢ τὸ π α ρ ε σ θ ί ε ι ν; Nonne nunc egregie convenit Tychiadae responsum: τοῦτο γὰρ ὦ Σίμων ἐστὶν ὃ αἰσχρὸν φαίνεται? Nondum enim ab adversario didicit veram vim talium compositorum. Ergo ille ita pergit: φέρε δὴ πάλιν ἀπόκριναί μοι ..... πότερον ἂν αὐτὸς ἕλοιο τὸ πλεῖν ἢ τὸ παραπλεῖν;

Anach. § 15a: διαπονεῖν τὸ σῶμα καταναγκάζομεν (τοὺς νέους) οὐ μόνον ἕνεκα τῶν ἀγώνων ..... ἀλλὰ καὶ μεῖζόν τι ἁπάσῃ τῇ πόλει ἀγαθὸν ἐκ τούτου καὶ αὐτοῖς ἐκείνοις προσκτώμενοι. Non potest credo ἀγαθόν τι προσκτᾶσθαι significare: bonum aliquod appetere; quoniam autem hic sensus requiritur conjicio θηρώμενοι.

De Luctu § 7a: οὗτοι δὲ (Minos et Rhadamanthus) τοὺς μὲν ἀγαθοὺς τῶν ἀνδρῶν καὶ δικαίους ἐπειδὰν συναλισθῶσι πολλοὶ καθάπερ εἰς ἀποικίαν τινὰ πέμπουσιν ἐς τὸ Ἠλύσιον πεδίον. Vitium his inest non alienum ab eo quod notavi in Hist. conscr. § 1a. Quemadmodum enim scribas fefellit nomen θέατρον collectivum esse pro οἱ θεαταί, ita eos praeteriit ἀποικίαν esse idem quod ἀποίκους. Cf. Ver. Hist. I § 12a: τῶν ἐν τῇ ἀρχῇ τῇ ἐμῇ ποτὲ τοὺς ἀπορωτάτους συναγαγὼν ἐβουλήθην ἀποικίαν ἐς τὸν Ἑωσφόρον ἀποστεῖλαι.

§ 16a: „ὦ μάταιε" filius mortuus ad lugentem patrem dicere fingitur „τί σοι δοκεῖ χρήσιμον εἶναι περὶ τὸν βίον οὗ μηκέτι μεθέξομεν." Sine dubio legendum est παρὰ τὸν βίον; sic enim ὁ βίος opponitur inferis. Cf. egregiam Hemsterhusii annotationem ad Dial. Mort. XIII, 1.

§ 19[a] ita deridet sacrificia: „ὁρᾶτε ὡς τὸ νοστιμώτατον τῶν παρεσκευασμένων ὁ καπνὸς παραλαβὼν ἄνω ἐς τὸν οὐρανὸν οἴχεται μηδέν τι ἡμᾶς ὀνήσας τοὺς κάτω." Fumus neque superis neque inferis utilis esse potest, verum κνῖσα ἑλισσομένη περὶ καπνῷ; lege ergo ὀνῆσαν ut referatur ad τὸ νοστιμώτατον.

§ 21[a] absurda interpolatione foedata est. Legitur: τὸ δ' ἀπὸ τούτου διελόμενοι κατ' ἔθνη τὰς ταφὰς, ὁ μὲν Ἕλλην ἔκαυσε, ὁ δὲ Πέρσης ἔθαψε κ. τ. λ.. Quum enim praecedat: μέχρι μὲν θρήνων ὁ αὐτὸς ἅπασι νόμος τῆς ἀβελτερίας, optime ita pergitur: τὸ δ' ἀπὸ τούτου διελόμενοι κατ' ἔθνη: in ceteris apud singulos populos diversi sunt ritus.

In Rhet. Praec. § 1[a] legitur: ὡς τάχιστα δεινὸς ἀνὴρ ἔσει γνῶναί τε τὰ δέοντα κ. τ. λ.. Ejiciendum est ἀνήρ; non dicitur enim Graece δεινὸς ἀνὴρ λέγειν sed δεινὸς λέγειν.

In § 16[a] moleste abundat praepositio: καὶ ἐν ἅπαντι λόγῳ καθάπερ τι ἥδυσμα ἐπίπαττε αὐτῶν. Verbum enim ἐπιπάττειν suapte natura adnexum sibi habet dativum. Eadem ratione ductus Cobet. in Anach. § 19[a] pro περιπέττειν τὸ πρᾶγμα ἐν τοῖς λόγοις scribi jussit περιπέττειν τοῖς λόγοις.

Graecum esse non credo quod legitur § 22[a]: καὶ ἢν μέν τις καλῶς εἴπῃ ἀλλότρια δεικνύειν δοκείτω, ἢν δὲ μετρίως ἐνεχθῇ πάντα ἔστω ἐπιλήψιμα. Notum mihi est εὖ φέρεσθαι et κακῶς φέρεσθαι; quod tamen id significat quod a nostro loco alienum est: bona uti fama apud homines; ita in Xenoph. Hell. Lysander dicitur εὖ φερόμενος διὰ τὴν προτέραν ναυαρχίαν. Parum illud convenit in eum cujus recitationes ab auditoribus probantur; et μετρίως φέρεσθαι omnino dici posse nego. Veram lectionem monstrare videtur cod. 436, ubi legitur ἐν ἔθει unde

restituendum ἐπαινεθῇ; e lectione επ εν (pro αιν) εθη, postquam prior praepositio exciderat, scriptor codicis 436 de sensu securus, ut tamen vocabula Graeca nascerentur, effecit ἐν ἔθει; qui illud saltem videbant verbo opus esse, una litera addita ex ἐνεθῇ formarunt ἐνεχθῇ. Cum μετρίως ἐπαινεθῆναι conferri potest quod legitur in Apol. § 15ª: λόγους μὲν ἀσκήσαντι καὶ τὰ μέτρια ἐπαινουμένῳ ἐπ' αὐτοῖς.

Quod Lucianus scripsit § 23ª: ἰδίᾳ δὲ πάντα πράγματα ποιεῖν σοι δεδόχθω, κυβεύειν, μεθύσκεσθαι, λαγνεύειν, μοιχεύειν, ἢ αὐχεῖν γε κἂν μὴ ποιῇς πρὸς ἅπαντας, id stupido grammatico quum non videretur satis perspicuum, ita ab eo expletum scilicet est ut nunc legatur ἢ αὐχεῖν γε καὶ πρὸς ἅπαντας λέγειν.

§ 24ª: γυναικὸς ἑβδομηκοντούτιδος τέτταρας ἔτι λοιποὺς ὀδόντας ἐχούσης. Expelle molestum istud λοιπούς; e sequentibus (§ 26ª) enim γαμεῖν οὐ γραῦν τινὰ τῶν κωμικῶν satis apparet scriptorem haec quum scriberet ante oculos habuisse locos e comoedia ubi senex vel anicula rogatur: πόσους ἔχεις ὀδόντας; quod etiam sine λοιπούς satis apertum est. Conferas si alio argumento opus est quod ipse Lucianus scripsit in Dial. Mort. IX, § 2ª: τηλικοῦτος ὤν, ὀδόντας τέτταρας ἔχων.

In Philops. § 11ª: ἔτι καὶ προσαναρτήσας τῷ ποδὶ τεθνηκυίας παρθένου λίθον ἀπὸ τῆς στήλης ἐκκόψας.

Quia vivorum neque sunt sepulcra neque cippi sepulcrales, satis absurdum videtur loqui de στήλῃ παρθένου τεθνηκυίας; verum post ποδί inserendum est ἄρτι: facile potuit excidere ΑΡΤΙ inter ΔΙ — ΤΕ; recens autem mortuam esse debere virginem e cujus cippo lapis vim habeat magicam, confici potest e § 7ª, ubi salutaris vis inesse dicitur δέρματι λέοντος

ἄρτι ἀποδαρέντος; procedente vero sermone τῶν Φιλοψευδῶν etiam absurdiora fiunt eorum postulata.

Muscae Enc. § 3a: ἡ μὲν κεφαλὴ λεπτότατα τῷ αὐχένι συνέχεται. Quia λεπτῶς συνέχεσθαι nihil est lege λεπτοτάτῳ τῷ αὐχένι.

Monui supra (p. 11) uno alteroque loco scribarum socordiam effecisse ut Lucianus videatur verbo ἡγεῖσθαι usus esse pro ἀξιοῦν et simm., et omnino Graeculi eam huic verbo notionem inesse existimasse videntur. Certe interpolatus a semidocto Grammatico est locus in Muscae Encomio ubi ἡγεῖσθαι ita positum est. Legitur § 9a: ἡ μυῖα ὑπὸ σκότῳ οὐδὲν ἐργάζεται οὐδ' ἀξιοῖ λανθάνειν τι πράττουσα οὐδ' ἡγεῖταί τι αἰσχρὸν ποιεῖν ὃ ἐν φωτὶ δρώμενον αἰσχυνεῖ αὐτήν. Quis non videt inter se opponi λανθάνειν τι πράττουσα et ἐν φωτὶ δρώμενον neque ea divelli posse pluribus vocabulis interjectis; sic enim pessumdatur tota sententia loci: nihil in tenebris agere sustinet, quod interdiu si fieret dedecori ei esset. Et quid istud οὐδ' ἡγεῖταί τι αἰσχρὸν ποιεῖν? Si jam ἡγεῖται idem est quod ἀξιοῖ, quam inepte bis idem dicitur. Quis denique credere possit Lucianum scripsisse αἰσχρὸν — ὃ αἰσχυνεῖ?

Advers. Indoct. § 22: καὶ σὺ δὴ ᾧτινι μὲν τῶν τοῖς ὀρχησταῖς συνόντων κιναίδων ἔοικας οὐκ ἂν εἴποιμι. Non sunt credo οἱ ὀρχησταί tam abjectum genus hominum ut suos secum ducant cinaedos; minime vero Lucianum eos tanto opere despexisse arbitror qui de saltatione nobilem librum scripserit. Lege ergo ἀγύρταις. Qui sint οἱ τοῖς ἀγύρταις συνόντες κίναιδοι, noverit quicumque „Asinum" legerit.

De Calumn. § 6ª: pro κατηγορία ἐξ ἐρημίας γιγνομένη lege ἐπ' ἐρημίας.

§ 19ª: ἡ δ' οὖν κολακεία καὶ ἡ διαβολὴ τότε μάλιστα χώραν ἔσχε πρὸς τὸ Ἀλεξάνδρου πάθος συντιθεμένη. Quia adulatio et calumnia cum machinis comparantur, lege προστιθεμένη.

Graecum non est quod legitur in Pseudologista § 16ª: βδελυροί τινες ἐς τὰ ἤθη. Dele ἐς e dittographia natum.

Dial. Meretr. V, 3: τὴν μὲν πηνίκην ἀφείλετο τῆς κεφαλῆς ..... ἐπέκειτο δὲ πάνυ ὁμοία καὶ προσφυής. Quia significat: capiti impositam habebat, legendum est ὁμοίαν καὶ προσφυῆ. Amat Lucianus ita uti praesertim participiis ἐπικείμενος, περικείμενος, sed secundum eandem normam legitur in Adv. Ind. § 10ª: σὺ μὲν χρυσῆν δάφνην περίκεισαι.

Nusquam absurdius γε positum vidi quam in Dial. Mer. VIII, § 1ª: εἰ μὴ ἐρᾷ γε τί ἂν ἔτι ὀργίζοιτο lege ἐρῴη.

Fugit. § 12ª: Philosophia ait hanc ob causam tot homines sibi se addicere, quod videant quot et quantis vitae bonis philosophi abundent nullo suo labore: ἐπεὶ δὲ κατεῖδον — ὡς ἀνέχονται οἱ ἄνθρωποι τὴν παρρησίαν αὐτῶν καὶ χαίρουσι θεραπευόμενοι καὶ συμβουλεύουσι πείθονται — ταῦτα πάντα τυραννίδα οὐ μικρὰν ἡγοῦντο εἶναι: quia enumerantur commoda quibus fruuntur philosophi et honores quibus a ceteris hominibus afficiuntur, legendum est pro θεραπευόμενοι θεραπεύοντες. Eodem modo in summa ubertate vivunt coelibes orbique quia heredipetae eos ὑπερήδονται θεραπεύοντες (Dial. Mort. IX, 2).

§ 13ª: αἱ τέχναι δὲ γλισχραὶ καὶ σὺν πόνῳ καὶ μόγις ἱκανὰ παρέχειν ἐδύναντο. L. τὰ ἱκανά: victum quotidianum.

Conviv. § 2ª: σὲ δ' ἀκριβῶς εἰδέναι (ἔφη) ἅτε μὴ παρέργως τῶν τοιούτων ἀλλ' ἐν σπουδῇ ἀκροώμενον. Audisne magistelli vocem? (cf. pag. 18.)

§ 3ª: νεανικώτερα ἡμᾶς ὦ Φίλων ἀξιοῖς ἐκφέρειν ταῦτα πρὸς τοὺς πολλοὺς καὶ ἐπεξιέναι διηγουμένους πράγματα ἐν οἴνῳ καὶ μέθῃ γενόμενα. In his primum displicet duplex accusativus cum verbo ἀξιοῦν conjunctus (νεανικώτερα et ἡμᾶς), quae res interpreti quoque tantas nebulas oboriri fecit ut νεανικώτερα scilicet habuerit pro adverbio: „nimis tu Philo acriter a nobis petis"; deinde praeter duplicem illum accusativum verbum ἀξιοῦν habet infinitivum. Profecto satis intricatus sermo! At omnes illae molestiae evanescent si ταῦτα et ἡμᾶς locum mutare jusseris: νεανικώτερα ταῦτα ὦ Φίλων ἀξιοῖς ἐκφέρειν ἡμᾶς κ. τ. λ.: Nimis proterva ista sunt quae petis, ut nos in vulgus differamus quae silentio premenda erant.

Solitum vitium reperitur § 12ª: καὶ ἄλλοι ἄλλα πρὸς τὸν καιρὸν εὔστοχα καὶ χαρίεντα ὑποτονθυρίζοντες l. ἄλλος ἄλλα.

Non est credo Graecum vocabulum ἐπέσκωπτε quod in § 18ª legitur, sed legendum est ἀπέσκωπτε.

§ 42ª: ὁ δὲ Δίφιλος ἠξίου καὶ τὰ τῷ Ζήνωνι ἤδη ἀπιόντι παραδοθέντα φέρεσθαι. Lege cum scholiasta ἀπόντι; jamdiu enim adolescentulus ille abierat; et pro παραδοθέντα cui nullus hic locus est παρατεθέντα, quod verbum in vicinia saepius hac in re legitur.

Deor. Conc. § 4ª: καὶ νῦν ἐπ' ἴσης διανομάς τε νέμονται καὶ θυσιῶν μετέχουσιν οὐδὲ καταβαλόντες ἡμῖν τὸ μετοίκιον. Quoniam

τὸ μετοίκιον vectigal est quod Athenis quotannis pendebatur, lege pro aoristo praesens καταβάλλοντες.

Haec ad elegantissimi et lepidissimi scriptoris libros animadvertenda et annotanda existimabam. Permulta, sat scio, restant quae criticorum manum exspectant, nam prae ceteris Lucianus omni genere vitiorum foedatus ad nos pervenit. Quorum ego multa de industria praetermisi, quae iis laborare morbis sentiebam ut meae vires ad sanandum omnino non sufficerent; plura etiam me invitum neglexisse credo, quae peritiores non fugissent. Neque dubito quin et eorum quae ipse annotavi, et emendationum quas proposui, bonam partem doctiores optimo jure sint reprehensuri et falsa esse demonstraturi. Nam quod rectissime de toto genere humano dixit poeta:

> ἅπαντές ἐσμεν εἰς τὸ νουθετεῖν σοφοί,
> αὐτοὶ δ' ἁμαρτάνοντες οὐ γιγνώσκομεν,

maxime id cadit in eum, qui juvenis artem criticam sibi exercere videtur. Ignoscet tamen erratis et aequi bonique consulet conamina mea idoneus de hac arte judex. Non enim alios libello meo docere mihi proposui; si modo dignus videar viris doctis quem argumentis suis convincant et meliora doceant, uberrimum me laboris mei fructum tulisse laetus lubensque profitebor.

INDEX LUCIANI LIBRORUM QUORUM LOCI TRACTANTUR VEL EMENDANTUR.

THESES.



I.

Libelli de Sacrificiis et de Luctu (XIII et L) non ab ipso Luciano sunt profecti, sed maximam eorum partem ex ejus Satyricis scriptis excerpsit Christianus quidam, satis doctus et elegans, eaque excerpta in suum usum convertit, ut nempe impugnaret fidem et ritus paganorum.

II.

Herodot. III, 42: *γράφει ἐς βιβλίον πάντα, τὰ ποιήσαντά μιν οἷα καταλελαβήκεε.* L. *τὰ πάντα ποιήσαντα.*

III.

Ibid. VII, 213: *καί οἱ φυγόντι ὑπὸ τῶν Πυλαγόρων, τῶν Ἀμφικτυόνων ἐς τὴν Πυλαίην συλλεγομένων, ἀργύριον ἐπεκηρύχθη.* Verba *τῶν Ἀμφικτυόνων ἐς τὴν Πυλαίην συλλεγομένων* pro docti cujusdam annotatione sunt habenda.

IV.

Sophocl. Electra vs. 363 sq.:

ἐμοὶ γὰρ ἔστω τοὐμὲ μὴ λυπεῖν μόνον
βόσκημα.

Leg. τούςδε μὲν λυπεῖν μόνον.

V.

Oed. Rex 694 sqq.:

ὅς τ' ἐμὰν γᾶν φίλαν ἐν πόνοις
ἀλύουσαν κατ' ὄρθον οὔρισας
τανῦν τ' εὔπομπος εἰ γένοιο.

Leg. εὔπομπος ἂν γένοιο.

VI.

Antigone 665 sq.:

δορός τ' ἂν ἐν χειμῶνι προςτεταγμένον
μένειν δίκαιον κἀγαθὸν παραστάτην.

Leg. pro προςτεταγμένον παρατεταγμένον.

VII.

Philoct. 440:

οὐκ εἶδον αὐτὸν ᾐσθόμην δ' ἔτ' ὄντα νιν

Leg. αὐτός.

VIII.

Ibid. 476 sqq.:

ἐμβαλοῦ μ' ὅπῃ θέλεις ἄγων
ἐς ἀντλίαν ἐς πρῷραν ἐς πρύμνην ὅποι
ἥκιστα μέλλω τοὺς ξυνόντας ἀλγυνεῖν.

Leg. in secundo versu ὅπου.

IX.

Europ. Androm. 1002 sq.:

πικρῶς δὲ πατρὸς φόνιον αἰτήσει δίκην
ἄνακτα Φοῖβον.

Leg. πικράν.

X.

Heracl. 630 sq.:

ὦ τέκνα χαίρετ' Ἰόλεως δὲ ποῦ γέρων
μήτηρ τε πατρὸς τῆσδ' ἕδρας ἀποστατεῖ;

Leg. ποῖ.

XI.

Ion. 1262 sq.:

οἵαν ἔχιδναν τήνδ' ἔφυσας ἢ πυρὸς
δράκοντ' ἀναβλέποντα φοινίαν φλόγα.

Leg. ἀναβλύζοντα.

XII.

Medea 1009 sq.:

μῶν τιν' ἀγγέλλων τύχην
οὐκ οἶδα, δόξης δ' ἐσφάλην εὐαγγέλου.

L. τίν' ἀγγέλλω.

XIII.

Aristoph. Equit. vs. 1376:

ἃ στωμυλεῖται τοιαδὶ καθήμενα.

Leg.: ἃ τοιαδὶ στωμύλλεται καθήμενα.

XIV.

Vesp. Ejiciatur vs. 530:

ἀτὰρ φανεῖ ποῖός τις ὢν ἢν ταῦτα παρακελεύῃ.

XV.

Pac. vs. 5:

ἰδοὺ μάλ' αὖθις. ποῦ γὰρ ἦν νῦν δὴ 'φερες
Leg. ποῦ γὰρ ἦν νῦν δὴ 'φερον.

XVI.

Ranar. vs. 560:

ὃν οὗτος αὐτοῖς τοῖς ταλάροις κατήσθιεν
L. ὃν οὗτος αὐτοῖς ταλαρίοις κατήσθιεν.

XVII.

Xenoph. Hist. Graec. I, 4, 14: ἐθέλοντος δὲ τότε κρίνεσθαι, παραχρῆμα τῆς αἰτίας γεγενημένης, ὡς ἠσεβηκότος εἰς τὰ μυστήρια, ὑπερβαλόμενοι οἱ ἐχθροί..... Verba ὡς ἠσεβηκότος εἰς τὰ μυστήρια delenda sunt.

XVIII.

Ibid. I, 7, 29: μὴ ὑμεῖς γε ὦ 'Αθηναῖοι, ἀλλ' ἑαυτῶν ὄντας τοὺς νόμους δι' οὓς μάλιστα μέγιστοί ἐστε φυλάττοντες, ἄνευ τούτων μηδὲν πράττειν πειρᾶσθε. Leg.: ἀλλ' ἑαυτῶν ὄντες καὶ τοὺς νόμους.

XIX.

Ibid. IV, 3, 13: ἐκ τούτου μεταβαλὼν ἔλεγεν ὡς ἀγγέλλοιτο ὁ μὲν Πείσανδρος τετελευτηκώς, νικῴη δὲ τῇ ναυμαχίᾳ. Leg. νικῶν.

XX.

Xenoph. Oecon. II, 8: οἱ δὲ σοὶ φίλοι πολὺ ἀρκοῦντά σου

μᾶλλον ἔχοντες τῇ ἑαυτῶν κατασκευῇ ἢ σὺ τῇ σῇ ὅμως ὡς παρὰ σοῦ ὠφελησόμενοι ἀποβλέπουσιν. Deleatur vocab. σου.

XXI.

Ibid. III, 5: ἴσως γὰρ ἀναλίσκουσιν οὐκ εἰς ἃ δεῖ μόνον ἀλλὰ καὶ ἐς ἃ βλαβὴν φέρει αὐτοῖς καὶ τῷ οἴκῳ. Leg. ἐς ἃ μὴ δεῖ μόνον.

XXII.

Ibid. XVII, 2: οἱ ἄνθρωποι πρὸς τὸν θεὸν ἀποβλέπουσιν ὁπότε ἀφήσει αὐτοὺς σπείρειν. Leg. ἐφήσει αὐτοῖς.

XXIII.

Ibid. XVIII, 1: δίδασκε οὖν εἴ τι ἔχεις με καὶ εἰς τοῦτο. Ἢν μή γε φανῇς, ἔφη, καὶ εἰς τοῦτο ταὐτὰ ἐμοὶ ἐπιστάμενος. Pro φανῇς legendum est φθάνῃς.

XXIV.

Demosth. VI, 11: ἡνίκ' ἦλθεν Ἀλέξανδρος ὁ τούτων πρόγονος. Leg. ὁ τούτου πρόγονος.

XXV.

Andoc. de Myst. 143: ἐπειδὴ τοίνυν ἡ πόλις ἐσώθη δημοσίᾳ διὰ τὰς τῶν προγόνων τῶν ἡμετέρων ἀρετάς, ἀξιῶ κἀμοὶ διὰ τὰς τῶν προγόνων τῶν ἐμῶν ἀρετὰς σωτηρίαν γενέσθαι. Inter κἀμοί et διά inserendum est ἰδίᾳ.

XXVI.

Platon. Apol. Socr. 17 A: μάλιστα δὲ αὐτῶν ἓν ἐθαύμασα

τῶν πολλῶν ὧν ἐψεύσαντο τοῦτο ἐν ᾧ ἔλεγον. Verba τῶν πολλῶν ὧν ἐψεύσαντο Socrate et Platone sunt indignissima.

XXVII.

Ibid. 22 B: ὡς ἔπος γὰρ εἰπεῖν ὀλίγου αὐτῶν ἅπαντες οἱ παρόντες ἂν βέλτιον ἔλεγον. Delendum est ὀλίγου.

XXVIII.

Phaed. 62 B: εἰ μὲν μὴ ᾤμην ἥξειν πρῶτον μὲν παρὰ θεοὺς σοφούς τε καὶ ἀγαθούς, ἔπειτα καὶ παρ' ἀνθρώπους τετελευτηκότας ἀμείνους τῶν ἐνθάδε, ἠδίκουν ἂν οὐκ ἀγανακτῶν τῷ θανάτῳ. Vocabulum τετελευτηκότας absurde additum est.

XXIX.

Ibid. 84 D.: πάλαι γὰρ ἡμῶν ἑκάτερος ἀπορῶν τὸν ἕτερον προωθεῖ καὶ κελεύει ἐρέσθαι διὰ τὸ ἐπιθυμεῖν μὲν ἀκοῦσαι, ὀκνεῖν δὲ ὄχλον παρέχειν μή σοι ἀηδὲς ᾖ διὰ τὴν παροῦσαν συμφοράν. Leg. ἀηδής.

XXX.

Ibid. 108 C: ἡ δὲ καθαρῶς τε καὶ μετρίως τὸν βίον διεξελθοῦσα καὶ ξυνεμπόρων καὶ ἡγεμόνων θεῶν τυχοῦσα ᾤκησε τὸν αὐτῇ ἑκάστῃ τόπον προσήκοντα. Pro θεῶν legatur ὁσίων.

XXXI.

Ibid. 116 C: καὶ νῦν εὖ οἶδ' ὅτι οὐκ ἐμοὶ χαλεπαίνεις, γιγνώσκεις γὰρ τοὺς αἰτίους, ἀλλ' ἐκείνοις. Duo ultima vocabula loci elegantiam pessumdant.

XXXII.

Dio Cass. L. 20, 4: *φιλανθρωπεύσονταί τι νικήσαντες οἱ καὶ πρὶν κρατῆσαι τί πεποιηκότες*; Leg.: *τί οὐ πεποιηκότες*.

XXXIII.

LIII, 20, 2: *ἐν γὰρ τῷ συνεδρίῳ ἑαυτόν τέ οἱ τὸν τῶν Ἰβήρων τρόπον καθωσίωσε καὶ τοῖς ἄλλοις συνεβούλευε τοῦτο ποιῆσαι*. Pro *τοῦτο* lege *ταὐτό*.

XXXIV.

Alciphr. 37, 3: *καὶ ἔχω τὸν ἐξ ὕβρεως ἄνδρα, οὐχ ἑκοῦσα μὲν ὅμως δ' ἔχω*. L. *ὅμως δὲ σιγῶ*.

XXXV.

Cicero pro Cluentio 71: et eum, ut ceteros appellet quibuscum loqui consuesset rogat. Deleatur verbum loqui.

XXXVI.

Tacitus Annal. I, 10: divisiones agrorum ne ipsis quidem, qui fecere, laudatas. Pro fecere lege cum Mureto cepere.

XXXVII.

Ibid. III, 40: Eoque Romana civitas olim data, cum id rarum nec nisi virtuti pretium esset. Leg. nec nisi virtus pretium esset.

XXXVIII.

Curtius Rufus III, 31: libertatis quoque in eo admonendo non alius jus habebat. Legendum est: non alius plus habebat.

XXXIX.

Ibid. 32: tua interest, quantum in nos licuerit, si id potius clementia quam saevitia vis esse testatum. Leg. clementiam quam saevitiam.

XL.


Ibid. IV. 54: obteri mehercule equorum ungulis possunt, etiamsi nil praeter falcatos currus emisero. Vocabulum nil ejiciendum est.

XLI.

Justin. XI, 4: Privata etiam regem superstitione deprecatur geniti apud ipsos Herculis, unde originem gens Aeacidarum trahat, actaeque Thebis a patre ejus Philippo pueritiae. Leg. actaque — pueritia.

XLII.

Ten onrechte wordt door Plato in den Parmenides (160*b* — 166*c*) *οὐκ ἔστι* en *ἐστὶ μὴ* — *ὄν* gelijk gesteld.



TYPIS L. VAN NIFTERIK HZ